

JOSEPHI EYEREL

COMMENTARIA

IN

MAXIMILIANI STOLLII APHORISMOS.

DE

COGNOSCENDIS ET CURANDIS FEBRIBUS.

Morbis quoque quasdam leges natura posuit.

Plin. Hist. nat. L. VII.

TOMUS PRIMUS.



VINDOBONÆ,

TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI WAPPLER.

1788.



PRÆFATIO.

Quid eſt aphoriſmus?

Tritiſſimum omnium ore vocabulum audio quotidie; vim vocis pauci tenent.

Ars tota conſtat experimentis; morborum notas, ſymptomatum ſucceſſiones, naturæ in ſanandis morbis molimina, fauſtos atque infauſtos exitus, juvantia & nocentia, fideli atque caſta obſervatione cognoſcimus, ab obſervationibus initia duxit, atque etiam perfecta eſt Medicina. Ex his enim præcognitis medicinæ primæ elementis

accurata morborum hiſtoria tandem coaleſcit, prædictionum fontes patent, atque omnis in ſanandis morbis agendorum ratio intelligitur.

Ingens & prope infinitus eſt obſervationum numerus, ut illas, quæ ſingulis morbis reſpondent, in totidem diverſa capita diſponere oporteat, quibus in unum poſtea collectis, ægritudinum quoddam ſyſtema componitur, tum commodis diſcentium, tum ipſi etiam artis exercitio maxime idoneum; facile enim percipimus ea, quæ ordine certo a ſe invicem diſtincta ſunt, atque facilius etiam eadem retinemus, ſi id morborum ſyſtema neque pauciora, quam oportet, neque plura contineat, ut indigeſta obſervationum mole mens obruatur. Accedit, præſentiſſimum ſemper eſſe harum deſcriptionum, atque præceptionum, in morbis ſanan-

dis,

dis, usum, si absque verborum ambagibus ea comprehendas, quæ, ut altius inhæreant animis, quam brevissime dicta sunt.

Omnis itaque observatio, seu morbi characteres, seu præsagia, seu medendi canones contineat, verbis breviter, & significanter expressa, *Aphorismus* audit.

At ipsa brevitas, quæ insignis aphoristicæ dictionis dos habetur, per summa tantum doctrinæ capita incedit; multa unico sæpe vocabulo comprehendit, ulterius evolvenda; atque dilucidanda; quædam etiam omnino intacta relinquit. Symptomata e. g. atque signa morbi, illiusque varios exitus, *aphorismus* notat; rationes illorum non addit. Quid agendum sit in diverso morborum statu, clare effatur *aphorismus*; medicamentorum selectum, doses, connubia

in-

inter ſe varia, graves in adhibendo illorum uſu cautelas, *aphorismus* non enumerat. Auctorum opiones, disſenſus origines, *aphorismus* non attingit, veritatis teſtes aut ex veterum, aut recentiorum ſcriptis nullos adducit; univerſim, hiſtoriam dogmatum, opinionum, & remediorum in aphorismis non reperies. Quæ tamen omnia ad intelligendos aphorismos conferre plurimum, & medicum hac ſcientia imbutum, etiam ornare, nemo neſciat.

En *Commentarium! Multorum*, quæ in aphorismo *paucis* continentur, explicatio.

Aphorismorum, quos *Stollius* de cognoſcendis & curandis febribus edidit, pars magna ad *Boerhaavium* pertinet; multos ipſe novos condidit; *Boerhaavii* etiam aphorismos ſubinde mutavit; quosdam etiam omiſit. Unde duplex

plex nunc commentariorum genus nafcitur, unum quo *Boerhavii*, alterum, quo *Stollii* aphorismi illuftrantur.

In aphorismos *Boerhaavii* abfolutisfima commentaria *Illuftriffimus Swietenius* confcripfit. In præclaro hoc opere *Summus Vir Boerhaavius* placita ex veterum præprimis, propriisque etiam obfervationibus, ita dilucidavit, ut fumma nunc omnibus conftet aphorismorum *Boerhavii* evidentia. Commentaria Illuftriffimi *Swietenii* in epitomen redegi, iis nempe refciffis, quæ fcolafticam medicinam, quam artem clinicam, propius fpectant.

Commentariorum in *Stollii* aphorismos alia omnino ratio eft. Ampliffima enim Viri optimi collectanea poffideo, quibus ad illuftrandam *Stollii* de febribus doctrinam uti licuit. Sententias in aphorismis breviter expreffas ex

aliis

o—o—o

aliis ipſius auctoris libris dilucidavi atque ipſum verborum ſuorum interpretem adduxi. Aliorum etiam ſcriptorum clinicorum ſententias atque obſervationes, quibus *Stollii* doctrina confirmatur, ſuis ubique locis, inſerendas eſſe exiſtimavi.

Quæ, & quanta in his edendis commentariis præſtiterim, æqui cenſores judicent.

STOL-

STOLLII PROOEMIA

AD

PRÆLECTIONES CLINICAS.



PROOEMIUM ANNO 1776.

D. 13. MAII HABITUM.

(*cum collegia practica incboaret.*)

Provinciam demandatam fusccepturus præmittere quædam necessum esse arbitror, quæ studiorum nostrorum rationem, antequam illa ordiamur, paucis demonstrent. Emenso jam aliquot annorum curriculo eo tandem profecti sumus, ut haustis medicinæ theoreticæ præceptis, ad ultimam, eamque utilissimam scientiæ nostræ partem, tanquam ad metam properemus. Omnium enim, quos exantlavimus hucusque, laborum finis is erat, ut apte feliciterque ægrorum corporibus mederi valeatis. Hunc in scopum humana viscera multa cum sedulitate per anatomen rimabamini, ut eorum fabricam situmque perdisceretis; inde, & quo quævis in corpore pars officio fungatur, qua ratione aberrare a sanitate quid possit, lædique, quibus signis, quæ læsæ sunt,

dignoſcuntur, & cognitæ perſanentur, demonſtrationes phyſiologicas, pathologicas, chemicas, atque eas, quæ materiam medicam explanant, a doctiſſimis præceptoribus habitas, accepiſtis. Huc ergo omnes veſtri conatus recidunt, ut præſidiis hisce in unum collectis inſtructi, ad ægrorum lectulos accedatis, ægris corporibus medicinam facturi.

Verum tranſitus hic a contemplante medicina ad ejus exercitium res eſt incertæ plena alnæ, atque maximis difficultatibus obſepta; nam etſi quis omnes ſcientiæ præceptiones ad amuſſim calleat, etſi morborum ferme omnium & deſcriptiones, & eorum cauſas, aptamve medelam recenſere, ac ſingulorum etiam rationes reddere noverit, nihilominus, ubi vivam morbi in ipſo ægro imaginem videt, multum is initio ceſpitabit, & peregrino hoc rerum aſpectu ſe confundi conqueretur. Aliud enim eſt res nobis ſolummodo recitatas auditu excipere, atque aliud itidem easdem, uti ſunt, oculis uſurpare; aliud ſcire præcepta artis, atque aliud exercere eandem artem, aliud noſſe omnes e. g. artis pictoriæ regulas, noſſe quid egregium, quid ſublime in arte pingendæ ſit, atque aliud eſſe ipſummet pictorem. Accedit præterea,

ut

ut aliud ſit ſcientiæ noſtræ idioma, quod nos calleamus, aliud quo æger ſuam infirmitatem medico explicat. Boerhavianos, ut rem exemplo dilucidem, terminos artis meliori doctrinæ gratia in conſilium vocat, morbosque ſecundum ſyſtematis adoptari rationem explicat medicus; at vero ægrotus horum omnium terminorum, ut & totius ſyſtematis ignarus, quid doleat, & quamdiu, & quomodo, & ubinam locorum, non illa compta ſyſtematica, artificiali, atque inter ſolos artis peritos recepta, ſed rudi, indigeſta, abnormi, atque utplurimum quam maxime manca narratione exponit. Hanc ob cauſam alia eſt inſtituta medicinæ pars, ad quam nos in præſentiarum accingimur, quæ morbos ipſos, & non ſolum morborum deſcriptiones proponit, atque harum deſcriptionum antea jam hauſtarum vos itentidem commonefaciat, quæve eximiam, eamque multiplicem in hoc noſtro noſocomio occaſionem ſuppeditat, ut vos ipſi praxin exerceatis, ſed eam alienis, ut ita dicam, non veſtris ſumptibus.

Aſſequimini, ut opinor, auditores optimi, quanta vobis neceſſitas incumbat, ut huic præſtantiſſimæ artis parti, tanquam ſtudiorum veſtrorum fini unico ac coronidi, totos vos conſecretis. Verumtamen, quemadmodum

con-

consummatum fieri medicum, si quis solæ theoriæ præceptis confisus ad artis exercitium accedat, perdifficile sit, & non nisi plurimo devorato tædio, perque maximas ambages scopum assequatur, ita e contrario sine brevio, eoque non vulgari theoriæ medicæ apparatu, illotis quasi manibus artem exercere, vana, & cœca, & detestabilis empiria est, quæ nulla ducta ratiocinio ruit, quo impetus fert, & experimenta, ut phrasi Pliniana utar, per mortes facit.

En, quam grave negotium sit, quod vos adgrediemini, quam multiplici doctrina instructos esse, quam omnibus conniti viribus eos oporteat, quicunque præclarum quid in rei medicæ, atque publicæ incolumitatis incrementum meditantur, ne aliquando & nobis oggeri possit, quod medicastro cuidam *Favorinus* philosophus exprobravit, cum diceret: *Pallium & barbam video; medicum & philosophum non video.*

Me quod attinet, omnes certe intendam vires, ut, quod ætati meæ, quod experientiæ nondum multorum annorum serie confirmatæ, maturæque deesset, id diurna, nocturnaque optimorum auctorum lectione compensem. Verumtamen, si etiam spes illa, quas qui-

quidam amicorum meorum, fors paulo indulgentius, quam verius, de me conceperunt, si meos conatus eventus frustretur, non idcirco vobis quidquam detrimenti nascetur. Nostis enim duplicem in scientia medica indicationum fontem, utrumque uberrimum, *juvantium* videlicet, atque *nocentium*, unde si me vobis praeeunte *juvantia* non instruant, instruent *nocentia*. Ceterum me & vestri amicissimum, & commodorum vestrorum certe semper studiosissimum experiemini.

PROOEMIUM ANNO 1776.

ωφελεειν ἢ μη βλαπτειν.

Antequam abruptum studiorum nostrorum filum resumamus, nihil a proposito me alienum facturum arbitror, si, quae officii gravissimi, ad quod accingimur, ratio sit, quove apparatu instructos vos esse oporteat, paucis dicam. *Hippocrates* officium medici binis solum vocabulis totum comprehendit, dum libro primo de morbis vulgaribus ait, oportere medicum ωφελεειν ἢ μη βλαπτειν, id est: prodesse, aut si id nequeat, non nocere. Profundae sapientiae effatum id est, cujus verita-

tem

tem is probe noverit, quem abſtruſæ morborum multorum cauſæ, aut earum utut cognitarum indocile & rebelle non raro ad omne remediorum genus ingenium non latuerit, quive frequentius ſaxum inter & ſaxum hæſerit, atque in partes diſtractus varias, ſecum ipſe multoties fuerit colluctatus, an & quid, & qua ratione quid moliendum ſit. Sed hanc duplicem medentis provinciam in præſentiarum miſſam faciamus, ejusque pleniorem pertractionem in tempora hunc in finem oportuniora rejiciamus. Id modo arripio, quorum præſentior neceſſitas eſt, & quibus, qui egregie quid, quodve ſupra vulgus ſapit, animo meditatur, carere nullatenus poterit.

Primo igitur eum, qui ſepoſito theoretico medicinæ ſtudio ad ejus exercendam praxin, ad lectos ægrorum accedit, animo ita oportet eſſe præparatum, ut nullis, quas aut legendo aut fando acceperit, præjudicatis opinionibus, nulla adverſus qualemcunque in medicina hæreſin prædilectione in transverſum actus, ad ſacra Æſculapio facienda ſit docilis.

Secundo, noſſe perneceſſarium eſt, quis noſtri quotidiani conventus ſcopus ſit, perdiſce-

scere videlicet genuinam morborum diverso-rum indolem, eamque, quam per annos elap-sos legendo, audiendo percepimus, in ipso-met modo ægro contemplari, lecta visis com-parare. Multiplex symptomatum varietas, quæve circa singula explicanda, dilucidanda-que obveniunt, nos cogit, ut hoc exerci-tii genus cum paucis ad initium ægris insti-tuamus, probe memores, non eum, qui quam plurimos ægros, sed illum, qui vel in pau-cis quam plurima viderit, præstantissimum fore.

Tertio, attentio, & singularis industria, & pertinax quædam assiduitas in contemplan-do ægro, conscribenda ordinata morbi histo-ria, in observanda variorum symptomatum mutatione, successioneque requiritur, ut is id-circo toto aberret cœlo, & non satis pœni-tendum temporis, & sumptuum, ac reliquo-rum quoque laborum exantlatorum dispendium patiatur, qui amicos nostros conventus sub-inde desereret, & inordinatas abruptasque morborum historias, aut pauca tantummodo earum fragmenta colligeret. Amabo enim, qui is in egregium aliquando architectum eva-det, qui nunquam integrum ædificium, sed disjecta solum membra, & prima solummodo

eo-

eorum rudimenta per otium, & prout fors obtulit, confpexerit.

Id peculiare, & cum aliis fublimioribus fcientiis commune ars noftra habet, quod quam plurimæ res, circa quas ipfa verfatur, ad certos reduci canones, quos lectitaffe aliquoties fuffecerit, reduci nequeant, nulla autem alia ratione, nifi ipfo affiduo ufu, atque exercitatione crebra, indefeffaque perdifcantur. Accedit & illud, quod, uti poetam, pictorem, belliducem non magiftrorum præcepta efformant, quos *nafci* dicimus, fic & medicus bonus nemo fieri potis eft, nifi eum, præterquam quod nulli in addifcenda hac arte labori parcat, ipfa natura de luto meliori finxerit. Videtis opinor, amici mei, quanta contentione animi conniti nos oporteat, ut illud artis faftigium fuperemus, quo nos omnes aufpicamur.

Profecto, fi, ut Horatius ait, mediocribus effe poetis, non dii, non homines, non conceffere columnæ, quanto majori cum jure id de medicis, quibus mediocribus effe nulla, aut divina aut humana lex concefferit, verum eft.

Pauca fuperfunt, quæ ego memet ipfum, vosque omnes monitos velim 1mo ne in ex-

er-

ercitationibus noſtris medicis ſemper novos, mirabiles, raros, a pauciſſimis deſcriptos caſus, & quædam quaſi monſtra quæramus. Relinquamus id quibusdam hiſtoriarum medicarum collectoribus, qui ejusmodi inconſueta & monſtroſa ſollicite venantur, repudiatis illis vulgaribus morbis, nullam apud lectores admirationem excitantibus. Sufficiat nobis, ſi quotidianis, obviis, qui mortales affligunt, morbis, citam, tutam, & jucundam medicinam facere didicerimus. Etenim, ut verum fatear, magnum, non ulterius hucusque promotæ medicinæ obſtaculum ſemper arbitrabar, quod humanum ingenium, quemadmodum in plerisque, ſic & hic, res in medio poſitas, & vulgares, ſua levitate transvolet, & niſi fugientia, procul ſita, aut inſolita captet. Inde factum eſt, quod vulgatiſſimorum quorundam morborum notio, ſi ad trutinam experientiæ & ſanæ rationis examinentur, incompleta, confuſa, nulla, & multi leviſſimis in ſpecie morbis male medeantur, dum interim aut rariſſimos naturæ luſus colligunt, aut moleculas ſanguinis globulum conſtituentes numerant, aut alio otioſis vaniſque ingeniis apto negotio occupantur. Alterum eſt, cujus nos eſſe memores itentidem oportebit,

ſci-

ſcilicet præcipuam medentis induſtriam ex mente magni Sydenhami in eo collocandam eſſe, ut morborum, quos examini ſubjicit, legitimam diagnoſin formet, qua habita, facillimum vel infimo, ut ait Sydenhamus, pharmacopœorum ſervulo erit, adaptatam remediorum formulam componere. Errant, Hercule, atque errorem perniciofum errant, qui neglecta ſemiotice, neglecta diagnoſi, ſolum formulas multiplices, ſpecioſas, inuſitatas, atque ſpeciem profundioris doctrinæ præſeferentes ſumma diligentia conquirunt, in volumina congerunt, ac vix audito morbi nomine, nulla facta cauſarum perquiſitione, mox mille formulas ex ſuo promptuario deſumptas recitant, nominibus morborum ſolummodo, non vero illorum cauſis remedia adaptantes. Hos nos æque parum imitandos, proponimus, ac poetam *Lucilium*, qui, ut ait *Horatius*, in hora ſæpe ducentos, ut magnum quid, verſus dictabat, ſtans pede in uno.

Nunc, quem ordinem ſtudiorum noſtrorum obſervaturi ſimus, paucis exponam: 1mo. morbos pleroſque, quorum vivam in ægris imaginem exhibere poſſumus, ea, qua par eſt attentione & ſedulitate demonſtrabimus, reliquos,

quos, ſcitu æque dignos, quos nihilominus ad lectos ægrorum demonſtrandi facultas non eſt, viva voce explicabo, 2do cum non cujuslibet ſit prudentem anamneſin inſtituere, & inſtitutam Hippocratica brevitate ſtilove deſcribere, operam dabimus, ut, quantam nunc poſſumus, facilitatem & in hoc exercitationis genere nobis comparemus. Hinc qui ſeſe ad hoc negotium obtulerit, ex ordine examen ægri inſtituent, inſtitutaque ſub oculis noſtris anamneſi, diagnoſin, prognoſinque formabunt, indicantia ſymptomata, indicata ipſimet nobis præſentibus demonſtrabunt. Hæc ipſorum agendi ratio ſingulatim examini ſubjicietur, excutieturque, num & quid addendum, immutandum, corrigendum. Quod ſi gravior quidam caſus obvenerit, plurium ſententiæ colligentur, diſcutienturque; quavis ſeptimana per horam de rebus practicis examinando, reſpondendoque diſcurremus. Id ſolum hic rogo, ne quis intempeſtivo quodam pudore, quod forte ſe minus inſtructum adhucdum in re practica exiſtimet, amico noſtro diſcurſui, qui neminem confundet, ſe ſubtrahat.

Interea, qui aliorum prius reſponſa audire, quam ſua promere, malint, id facere il-

illis integrum erit, modo ii, qui hoc exercitationis genus non recusant, nominibus suis, quæ tradunt, *se responsuros*, signum addant.

PROOEMIUM ANNO 1777.

Convenimus denuo A. O. ad ea studia gravissima pertractanda, quorum perita exercitatione præclarum magis nihil est, nihil per omnem, qua patet latissime, omnium scientiarum ambitum, sublimius, & divinius nihil: ad ea inquam sacra accingimur, quæ perfunctorie & quasi aliud agendo facere, infandum nefas foret, & læsæ humanitatis ipsius, in cujus perniciem impunita hæc oscitantia cederet, infame crimen. Sinite A. A. O. O. ut studii illius, cujus præstantiam, gravitatem vos omnes nosse arbitror, rationem, modumque paucis exponam.

Igitur omnium primum oportebit artis illius theoreticas præceptiones, quibus imbuti per hos annos in publico Athenæo a doctissimis viris estis, in usum trahere, & quousque illæ valeant, & quod & quando valeant, ipso exercitio condiscere. Discemus morbos non ex ore magistri cujusdam, cujus manca esse possit, & præjudicatis opinionibus conta-

mi-

minata, & hypothesibus suffulta doctrina, sed ex ægro ipsomet, ex ore fidissimæ magistræ, summe videlicet veridicæ Naturæ. Multa præterea nostris ipsimet oculis usurpabimus, quæ aut libris committi nequeunt, aut si etiam committantur, percipi tamen aut non omnino, aut non nisi tarde, & post mille tædia, per labores mille, & mille, per mortes ipsas luctuosissimas, experimenta possunt. Præclare igitur vobiscum agetur, quos non ego, non alius quisquam deceptioni obnoxius magister, sed viva naturæ ipsius vox erudiet. Hac nostra magistra diversa anni tempora contemplabimur tacito gressu labentia, suis singula ægritudinibus insignita, & propriis, nullique alteri anni parti communibus. Videbimus sub hyemis, præcipue frigidæ ingressu, morborum inflammatoriorum catervam ingredi, & mense Januario longe lateque dominari; post remissiore aliquantum frigore, & veris tempore appetente, vis inflammationum contrahetur, ovumque orietur morborum genus, ubi inflammatoria humorum dispositio sensim sine ensu in vitium catarrhosum, pituitosumque ifcit. Anno ulterius profecto, sub veris itum & æstatis ingressum, bilis caput efferincipiet, desertamque ab hyemalibus, ver-

nis-

nisque morbis stationem occupabit. Hic febrim biliosam mirabimur, mille formas ludentem, & eodem in theatro diversas personas agentem; etenim modo caput impetet phrenitica, modo in pleuram irruet & pulmones, sub pleuritidis, peripneumoniæ, hæmoptoes larva. Nunc eadem biliosa labes diffusa per corpus, atque ad cutis extrema vasa delata, corpus exanthemate pinget, eoque vario, erysipelaceo, scarlatino, miliari; petechiali; nunc in intestina detonabit, & colicas, diarrhæas, dysenterias producet. Hæc tanta symptomatum varietas, hic lusus varius ejusdem morbificæ causæ, eos omnes mirifice ludet, qui versatile ejus ingenium penes ipsos ægrotantium lectos non fuerint edocti, mirifice illos ludet, qui nominibus morborum contenti res ipsas negligunt. Hi symptomatum hac varietate, mutabilitate conturbati vanam, empyricam, variam, mutabilem medicinam facient, miserrimi medici, ipso morbo detestandi magis, & magis perniciosi.

Alterum est, cujus notitia carere saltem aliqua nemo potest, qui prosperos artis successus optat, cujusve notitiæ comparandæ facultatem præsens annus dabit. Quid enim medicum exornat magis, quam artis chirurgi-

cæ

cæ & operationum præprimis chirurgicarum peritia? quam multiplex hujus artis uſus eſt medico ruri degenti, cui integræ non raro provinciæ ſalus concredita eſt, & qui idoneum chirurgum non habet, cujus dexteritati confidere tuto poſſit. Hæc cum perviderem, nolui & huic veſtro deſiderio deeſſe. Hunc in finem quavis ſeptimana, die & hora conſtituta, præter collegium medico-practicum etiam alterum prælegetur a dexterrimo viro Raphaele Steidele, Chirurgiæ Profeſſore, de re inſtrumentaria chirurgorum, & variæ methodi variorum exponentur, & tota hæc diſciplina Auditoribus collegii practici, hisque ſolummodo, clare diſtincteque tradetur. Tertium eſt, quod ea, uti anno exacto, ſedulitate proſequemur, artem videlicet obſtetriciam, cujus præcepta in conventu noſtro penes ipſos etiam parturientium lectos haurietis.

Hæc ſi aſſequamur, ſi ea animi contentione, ea laboris diurni nocturnique tolerantia connitamur, quam res ipſa & difficillima & momentoſa poſtulat, non procul aberimus ab illa perfecta medici imagine, quam animo concipere quidem, ſed pro rei dignitate deſcribere verbis nequeo. Etenim quæ & quan-

ta desiderantur ad illud absolutissimum exemplar perfecti medici! quanta ingenii vis & promptitudo, ut res vel minimas, vel citissime transeuntes, vel abstrusissimas apprehendat, seligat, suosque in usus recondat! quam subactum judicium & concoctum, non præceps, non animi impetu quodam cæco rapti solitum, sed consilio gubernari, non meticulosum in in agendo, sed nec leve, nec temerarium! Quanta præterea animi firmitas requiritur, quæ non ex indifferentia quadam, aut mentis innato quodam stupore proficiscitur, sed quam ratio & scientia parit! Quam patiens laboris animus, qui devorare mille molestias novit, mille vitæ commodis carere, mille incommoda sufferre! animus, quem nec otiosorum spectacula, nec bachantium festa, nec populi tumultuosa concursatio, nec compotatio, nec vanissimorum hominum fabellæ, a perscrutandis morborum & naturæ arcanis unquam valent dimovere, qui vitam omnem laboribus in emolumentum miserorum mortalium cessuris impendit. Sed & quanta vitæ morumque integritate opus est, ut illud exemplar perfecti medici omnibus numeris absolvatur, vitæ ajo & morum integritate, qua sine, credite mihi, nihil illustre unquam susci-

ſcipitur, nihilque, quod poſterorum memoriam mereatur.

PROOEMIUM ANNI 1778.

Cum præſens nos iterum annus jungat, quo intermiſſa aliquamdiu ſtudia reſumimus, pauca quædam præfari oportere exiſtimabam, quæ huic loco & tempori, huic veſtro ſpectato conventui convenire præprimis arbitrabar. Sinite ergo A. O. ut veſtram pauliſper patientiam deprecer, & de erroribus quibusdam diſſeram, qui in in addiſcenda medicina plerumque committi ſolent.

Multa præpoſtere ab iis non raro fieri, qui artis hippocraticæ ſtudia ſuſcipiunt, vetus jam, multorumque querela fuit, eaque in hodiernum uſque recocta diem, ſed incaſſum plerumque, & non audita.

Juvat ergo non ſolis tantummodo errorum criminationibus inhærere, ſed in ipſos adeo eorundem ſcaturigines inquirere, quo facilius malo obviam iri ab iis poſſit; quos recti ſtudium tenet, & amor veri, & quibus cor ſapit. Atque omnium primo in eo non mediocriter erratum exiſtimo, quod quædam perverſa opinio non paucis inſideat, medici

nempe ſcientias alias, ſi linguæ latinæ perfunctoriam ſolum notitiam, perſunctoriam quoque logices cognitionem exceperis, neutiquam eſſe neceſſarias. Pudet me hæcce refellendo, huic peſſimæ opinioni immorari, quam enim manca, & utroque orbata oculo omnis erit medicina, quæ perfecta logices phyſicæque cognitione caret, quæ matheſi, ordinate cogitandi dilucideque demonſtrandi magiſtra, deſtituitur. Non id ajo, medicinam omnem ad mechanices regulas revocari, aut algebræ calculis ſubjici poſſe; at vero omnem bonam methodum, ſeu erruere res ante incognitas, ſeu repertas in diſciplina, clare, dilucideque exponere velis, omnem inquam bonam methodum e rigoroſa geometrarum tribu transferendam eſſe, id quidem fidenter, & totis viribus contendo. Atque has ego ſcientias ita neceſſarias arbitror, ut ſine illis medicina nulla, niſi ſummopere empyrica eſſe poſſit. Verum & aliæ quædam dantur ſcientiæ, quarum cognitio non exiguum medico ornamentum adjicit, eumque omnibus eximie commendat, artis tædia ſolatur, fractum ſeveris ſtudiis animum oblectat. Quid enim jucundius feſſum labore multo ad Poetarum hortulos divertere, ibique de-

deliciari? quid ignominiofius, quam in ingenti nobilium corona quafi rudem rerum omnium pulchrarum, & agreftem verfari, quam in hominum doctorum conventu aut turpiter, quafi elinquem obmutefcere, aut abfona quædam, & de fua folum arte proferre, hiftoriæ politicæ, omnisque pulchræ eruditionis imperitum.

Secundo loco commemorandus alius error venit, non infrequentior priori, & æque perniciofus, atque is etiam jam anno præterito a me, & iteratis vicibus confutatus, poffe nempe medicinam addifci, atque comprehendi fola librorum medicorum lectitatione, optimorum præcipue, nec effe opus longo, moleftoque ægrotantium confpectu, regulasque practicas hauriri ex folis libris poffe. Errorem hunc funditus veftris ex animis evellere adlaborarem, fi veftræ perfpicaciæ diffiderem, nique perfuafus effem, tempus ipfum vos meliora edocturum. Medicina non intra folas opiniones concluditur, fed *agit*: Theologiam, jurisprudentiam, geomotriam folo forfan aut magiftrorum ore, aut libris haurires, fcientias nempe folam intra fpeculationem confiftentes. Ars vero medica, poftquam notiones quædam præmiffæ, & un-

undecunque fuerint collectæ, *agit*, & in *agendo* quasi tota quanta versatur. Quid, putasne rem tormentariam de te dextre tractare posse, mœnia, turresque munitas, atque arces te eversurum, si quidem pulveris pyrii confectionem ex libro recitaveris, comprehenderisque, quæ tormentis bellicis materies insit, quæ singulorum gravitas specifica, at vero tormentum ipsum bellicum videris numquam, neque unquam ipse exploseris. Certe exercitio opus erit multo, laboriosoque æque in arte medica funditus perdiscenda, atque in re tormentaria rite tractanda; atque in illa quidem studium erit pertinacius collocandum, quanto ars medica comprehensa difficilior est alia quacunque.

Verum cum non sufficere librorum lectionem assero, eam nihilominus necessariam dico, ipsique ægrotantium sedulæ visitationi una jungendam. Sed hic oportet non irruere in quosque auctores obvios, eosque famelici instar, qui oblata quævis non masticata absumit, devorare quemadmodum amicorum, ita & librorum, cum utrisque enim æque conversamur, & magnam vitæ partem consumimus, delectum oportet instituere.

Legendi a vobis ſunt libri practici, quos unanimi calculo meliores novimus, quosque ordo & concinna perſpicuitas commendat, notos non ex ventoſa hypotheſi, ſed experientia multa, & intemerata. Puto vos ſcire velle, quibusnam auctoribus ea commendatio competat. En, quorum modo memoria ſubit.

Wilhelmus Grant librum ſcripſit de *febribus* ex anglicano idiomate in noſtram vernaculam converſum, egregium hercle & lectu dignum. *Tiſſoti* inſtructio, *avis au peuple* dicta; item libellus pulcherrimus *de febre bilioſa Lauſannenſi.* Egregium & ſat completum noſtri *Illuſtris Præſidis* compendium medicinæ practicæ. His addi & *Pringliana* debent; eaque, quæ de *febribus* eximius noſter *Quarinius* dedit. Tandem his jungi *Baldingeri* libellus debet de morbis militum, maxima cum eruditione conſcriptus. Paucos nominavi, ſed qui interea ſufficiunt, quive tyroni practico magis videbantur neceſſarii. Etſi probe ſciam, quanta bonorum librorum hucusque ſylva ſuccreverit, ſed quorum lectionem in futura vobis tempora aptius reſervabitis.

Alium errorem novi nigerrimo æque calculo notatum, & in artis perniciem natum,

me-

medicinam nempe levi brachio comprehendi posse, & quasi aliud agendo consectari. Hunc errorem non ego, sed ipsa vos artis exercitatio, infinitis propemodum difficultatibus obsepta, docebit. Nemo Asclepiadeas disciplinas sectetur, nisi laboris improbi atque assidui & plerumque vel ingratissimi summe patiens, nisi acri judicio, subactoque; nisi eminenti morum integritate spectabilis, nisi vel in juvenili ætate sapientiam viri, maturitatemque præseferat, & nisi animo erecto ac sublimi supra plebem sapiat.

PROOEMIUM ANNO 1780.

Cum præsens annus nos denuo jungat, præfari quædam oportet de instituti nostri ratione, ut, & quænam nobis sint perdiscenda, & quonam modo, & quibusnam potissimum ex causis, innotescat.

Praxin nimirum medicam auspicabimur; pathologiam nempe universam, quam annis præteritis ex ore magistrorum diligentissimorum didicistis, eam nunc in ipso ægro homine nostris oculis usurpabimus. Certe, utut summopere necesse est has pathologicas præceptiones seorsim quasi, atque extra ægrum antea

tea didicisse, ita neutiquam sufficit his solis instructum ad ægrorum lectos accedere, & suo marte velle morbis mederi. Nec lectio sola, nec quæcunque præceptio tanti est, aut esse potest, ut vices supplere possit collegii practici.

Rogo vos A. O. per eam, quam quæritis vitæ felicitatem, per quidquid vobis carum, amatum, per quidquid vobis sacrum sanctumque, ut medicinæ practicæ ipsa sola exercitatione sub magistri ductu rite addiscendæ omnem vestram diligentiam, atque omnem animi contentionem dicare velitis; aut, si id vobis incommodum, nimis laboriosum, & viribus vestris gravius videatur, rogo atque obsecro, ut studium medicum ex toto seponere, illi penitus valedicere, eamque totam artem ad ultimam usque Thulem amandare, vel relinquere illud valitis hominibus feliciori sydere natis.

Non novi perniciosius malum medico imperito: novem ægros imperitia sua mactabit, servabit fortasse decimum casu fortuito, & benigniore natura perversam medelam superante. Quoties parentem eripiet caræ proli, aut integræ prolium catervæ, quam Natura a medicastro ejusmodi non subversa ser-

vas-

vaſſet? quoties hominem miſeriis tradet ipſa morte miſerioribus?

Metuo *mediocritatem* medicorum, inferno pejorem; cum multis paraſangis præſtet nullum habere medicum, quam *mediocrem*, quem hæc ipſa mediocritas *malum* facit, & reipublicæ pernicioſum.

Ut hanc turpem mediocritatis notam fortunato vitemus, non ſufficit remediorum nomina, doſes, & formulas ſcire, easque ubique conquirere. Eo eris pernicioſior hoſtis humani generis, quo valentiora arma comparaveris, ſi deſit tibi ſcientia iisdem dextre utendi. Non ſufficit collegium practicum deguſtaſſe, canum more, qui curſim præterlabentem undam lingunt. Requiritur attentio indefeſſa ad ea, quæ in ipſis ægris & circa ægros geruntur, ut non artis quædam ſolum fragmenta avulſa, & male cohœrentia colligantur, ſed artis, ut ita dicam, ſpiritum hauriamus.

Cur, & quid diſcendum ſit audiviſtis: ſupereſt, ut & quo ordine ſimus uſuri, adhuc paucis exponam.

Ab iis morbis nempe exordium ſumemus, qui frequentiſſimi, & frequentius pernicioſi, & medentis dexteritatem, eamque

promp-

promptam præprimis exigunt; a morbis nempe omnium ætatum, cujusque ſexus, climatis; quos qui probe noverit, reliquos, utpote & pauciores, & ſanatu cognituque leviores, ſua propemodum marte noſcet, & feliciter ſanabit ſanandos. Ordiemur nempe a morbis febrilibus, quos annis præteritis pertractabamus; verum tamen cum dies diem doceat, ſpero me integram, atque in aphorismos redactam febrium & febrilium morborum doctrinam daturum, illis, quæ de hoc eodem ſubjecto per annos præteritos dicta ſunt, multo diriorem, & practicoteram. Hac autem febrilium morborum theoria finita ad explicandos alios morbos gradum faciemus, quos ob temporis penuriam, ob multitudinem aliarum rerum explicandarum per annos hosce omittere, & in futura tempora ſeponere cogebamur.

Supremum nobis Numen adſpiret, ut eum ſcientiæ hujus, qua divinior nulla eſt, gradum aſſequamur, quo bonorum omnium humanorum præſtantiſſimum, ſanitatem nempe, aut aliis conſervemus, aut ablatam reſtituamus, atque hoc modo aliquid ad humanæ felicitatis augendæ ærarium contribuamus! Dixi.

PROOEMIUM ANNO 1781.

Ultimam medicinæ partem auſpicamur AA. OO. cujus tanta neceſſitas eſt, ut ſine ea medicus clinicus cogitari omnino nequeat. Medicinam clinicam, praxin nempe clinicam auſpicamur.

Eſt autem medicina clinica, ſeu praxis clinica ea ſcientiæ medicæ pars, quæ docet adplicare præceptiones pathologicas & therapeuticas: ſeu quæ docet ipſum morbum in ægro oblato dignoſcere ab aliis, cognitumque ſanare.

Aliquæ medicinæ partes (excepta anatome & chemia) utuntur methodo ſynthetica, a generalibus, & quæ pluribus communia ſunt, ordiuntur; cauſas, ſymptomata, ſigna, differentias, effectusque contemplantur in genere. Tandem ad particularia progrediuntur, & morborum variorum imagines quaſi quasdam, aut ideas condunt.

Verum Medicina clinica morbum ipſum contemplandum aſſumit, illum in ſua quaſi elementa diſſolvit, cauſas, ſymptomata, ſigna, differentias notat, & analytice progreditur, a particularibus ad univerſalia.

Ver-

Verſatur ergo Medicina clinica circa morbos particulares, prout in natura occurrunt: hique ejus objectum ſunt. Medicina clinica diagnoſi, prognoſi, & therapia ſpeciali conſtat. In morbis patricularibus Medicina clinica omnium primo definit, ad quam ſpeciem oblatus morbus pertineat. Formas accidentales morborum, ſeu varietates in una eademque ſpecie morbi infinitas videbimus. Difficultas autem maxima eſt, quod hæ formæ accidentales, ſeu hæ varietates medicum ſæpe decipiant, ut is putet tot eſſe diverſas ſpecies, quot *formæ*; ſunt autem formæ ejusdem morbi tot, quot ægri eo morbo tenentur. Exemplum petitur *a febre e. g. bilioſa.*

Neceſſitas Medicinæ clinicæ addiſcendæ ex eo elucet, quod longe aliud ſit morbum a *Boerhavio* per cauſas ſuas graphice & technologice deſcriptum intelligere & memoria tenere, & aliud *eundem morbum* non a *Boerhavio*, ſed ab ægro, ſæpe vocabulis impropriis, cauſis omiſſis, ignoratis, falſis aſſignatis ita dignoſcere, ut cum alio non confundatur.

Miror, qui fieri poſſit, ut aliquis hac medicinæ parte non audita, non diligenter exercitata, poſſit ad lectos ægrorum accedere.

Op-

Optandum esset, ut post auditum collegium practicum in majori nosocomio adhuc diutius videndis ægris per varias anni partes & variis annis, operam darent. Testes appello illos, qui tanto studio, & tam indefesso compluribus jam annis, omnibus in hoc nosocomio exercitationibus interfuerunt. Putatisne hominem fieri egregium belliducem posse, qui exercitum, arma nunquam viderit, nunquam præfuerit militibus ducendis, qui milites solum pictos viderit?

Hoc anno, Deo dante, potissimas medicinæ clinicæ partes pertractabimus. Hinc explicationes anatomicæ, physiologicæ omittentur, utpote aliunde notæ. Hinc & auctorum opinionibus *recensendis* non immorabimur, ut quæ onerant potius, quam ornant. Sed ut tempus lucremur, solummodo dicemus, quid in quovis morbo sit aut *faciendum*, aut *omittendum*; solummodo id, quod est *practicum*.

PROOEMIUM ANNO 1785.

Multum mecum ipse & sæpe numero disputavi, quæ demum ratio sit, cur in numeroso plerumque candidatorum cœtu tam pauci reperiantur, qui gravissimo muneri, ad

quod

quod ſeſe accingunt, qui ſpei conceptæ parentum, patronorum, caræ patriæ tam raro ex voto reſpondeant, quive in generis humani non tam ſolatium, quam perniciem nati non ſint, non ſint illius, qua aluntur, terræ pondus ſaltem inutile.

Cogitanti mihi multa ſe præbuere per hoſce annos obſervata! (decimus enim nunc annus labitur, ex quo inſtitutiones practicas ordiebar) multa inquam ſe mihi obtulere, quae tandem hoc dubium exemerant, quæve juſtam indignationem cordato cuidam movebunt.

Sinite, Auditores optimi, ea impedimenta ſtudii potiſſimum clinici, eas vobis rationes exponere, ob quas tam pauci eos ſibi fructus referrent, quos & referre, ſi mallent, poſſent, & ego, ut referrent, eminenti quodam modo & vehementer optarem.

Primum ſtudium clinici impedimentum obſervavi defectum illum ingentem ſcientiarum, quas *auxiliatrices*, & propedeuticas apellant, dum logices phyſicesque, dum mathematum prorſus ignari, & ſanctiſſimarum harum diſciplinarum oſores potius ad eam artem graviſſimam condiſcendam properant, quam ſine limatiſſimo judicio, ſine exercitatione aſſidua,

ocu-

oculata, ſine profunda meditatione nunquam auſpicato exercueris.

Atque ita male inſtructi, invitis Muſis omnibus, invitis manibus Divi Hippocratis, ejus ipſius artis praecepta tam oſcitanter, tam perfunctorie, & velut aliud agendo, tanta cum levitate (ut nunc eſt adoleſcentium genus nugatorium) audiunt, ut abſoluto ſtudiorum curriculo non præceptiones adæquatas, non quoddam præceptionum bonarum ſyſtema, ſed diſcerpta tantum & avulſa, aut male cohœrentia ſcientiæ membra teneant.

Obſtupui plane (date hoc candori meo; meo in vos ſtudio, & ignoſcite vera fatenti) obſtupui plane multoties, dum frigidiſſimum illud frigus contemplarer, quo detenti non meas (cum de meis tenuiter ſentiam) ſed ipſius naturæ, Magiſtræ ſemper optimæ, præceptiones exceperunt.

Alterum eſt, quod profectus inſigniores imprimis impedit; nolunt nempe ſuas vires in *paucis* ægris periclitari, nolunt *adcurate* & *penſiculatim*, *patienterque* unius tantum alteriusve ægri morbum excutere, ſcrutari, & limatas ſibi, atque vere practicas ideas comparare; neque, cum adeo peregrini ſint, & plane hoſpites in Peripato, id facile poſſunt.

Hinc

Hinc fit, ut vagis, inanibus, fine lege modoque propofitis quæftiunculis mox, fibi quandam vagam, & prout fors dedit, notionem morbi figunt, nullis nixam fundamentis, & ægrum fortuitæ & difcriminis plenæ medicationi fubjiciant.

Sunt, quibus animus juveniliter prurit; mox ubi theorethicas præceptiones deferuerunt, ægros quam plurimos videndi. Nil reperiunt hi in pauculis illis ægris, quos fchola practica offert; nil vifu contemplatuque dignum magnis hifce ingeniis fuppeditat curta hæc noftra fuppellex, & exiguus ægrorum numerus. At, dum fpretis his noftris rivulis illa flumina adeunt, fuam inde fitim expleturi, en, non refectos, ut fperabant, fed plane oppreffos. Sed miffa imagine errorem hunc frequentiffime commiti folitum a medicinæ candidatis curatius expendamus.

Nempe in ea non pauci opinione verfantur, prodeffe, fi, deferto hoc noftro exiguo ægrorum numero, mox vafta nofocomia, numerofosque ibidem ægros, atque ingentem morbidorum morborumque colluviem fpectent. Hi obiter ægrotantium lectulos percurfitant, & dum morborum numeroforum plurima nomina audiunt, remediorum ingentem copiam

& varietatem, formularumque farraginem ſibi compilarunt, peſſime opinantur, ſe & ipſos morbos noſſe, cum eorundem ſolum nomina norint, & cum plurimos viderint, omnino ſibi perſuadent, ſe & plurima vidiſſe. Vidi, dum in paucis ægris ſeſe exercere negligunt, peſſimam inde negligentiam naſci, non facile poſthæc corrigendam.

Aliud eſt candidatorum genus, quod nova, rara, inaudita, quodve morborum monſtra ſolum arbitratur ſuam attentionem mereri; quid enim emolumenti, quid bonæ frugis ex collegio practico comparabunt (ita enim ipſi ratiocinantur) qui nihil viderint, niſi morbos illos quotidianos, nil niſi febres acutas, varias equidem, ſed quæ in vulgus notæ ſunt, cum pleræque mortes inde ſint.

Doleo plane multos eſſe, qui ita opinantur, qui ſibi falſo perſuadent, omnia eſſe in vulgatiſſimis his morbis vulgata quoque & plana, omnia jam eſſe in apricum deducta, ut hallucinari nemo alius queat. Deum immortalem, quam multa adhuc vel in obviis morbis, qui medicorum induſtriam exercent quotidie, quam multa, inquam, adhucdum in hac plena ſcientiarum luce, obſcura, ambigua,

in-

inexplicabilia! quam multa, ubi expeditiores medendi methodi adhuc desiderantur!

Hi dum insolitis inhiant, & consueta aspernantur, perversam hanc agendi rationem gravissime plerumque luunt; ignorant sæpe vel simplicis catarrhi curationem, & dum illi raras solum ægritudines vasto sublimique ingenio dignas reputant, quotidianis nos interim morbis, mortisque in prædam cedimur.

Aliud est genus hominum, quod arcana solum, quod remedia specifica, quod formulas conquirit, ut habeat pro cujusvis morbi nomine unam alteramve formulam. His armis instructi, sed scientia formandarum indicationum destituti, eunt in universum mundum & remediis, & sui pleni. Rident hi curtam hanc nostram supellectilem remediorum, nostram in medendo simplicitatem, nostram in ea remediorum heroicorum, specificorum luxurie potius, quam ubertate, ignorantiam.

Vellem hos, qui ita sentiunt, enixe rogatos, ut non nostra remedia (pauca sane atque obvia) sed *nostram methodum* condiscant.

Impedimentum ulterioris profectus clinici aliud quoque reperi, *præsidentiam* nempe illam, ubi sibi falso impununt, cuncta se scire, ridicule superbientes de curta scientia-

rum penn, miserabiliter ambitiosi. Hoc genus hominum levidense sibi vim præcludit ad scientias condiscendas. Respiciunt nunquam, utut fors essent a natura non male instructi: nomina rerum, res ipsas non tenent: blatterones, ardeliones. Faciam hoc anno, ut hos non verbis, quod frustra sæpe est factitatum, sed facto ipso convincam, non nisi contentione magna vel obvias ægritudines scrutandas esse.

Hæc habui potiora profectus clinici impedimenta recensenda, sed quæ vestra non erunt, cum frequens hic vester conventus, atque hæc tanta animorum vestrorum contentio abunde demonstret, quam præclare de studii dignitate sentiatis.

PROOEMIUM ANNO 1786, 3. OCT.
(LINGUA VERNACULA HABITUM.)

Meine Herren!

Bey dem Anfange dieses Lehrkurses ist es allerdings nothwendig, einen Unterricht über unsere praktische Lehranstalt voranzuschicken, und Sie in den Stand zu setzen, von dem, was künftig ihr Geschäft seyn wird, und was man von Ihnen mit so vielem Recht

Rechte erwarten kann, etwas richtiger zu urtheilen. Wir wollen uns also in der heutigen Vorlesung über vier Punkte etwas weitläuftiger erklären:

1. was ist praktischer Unterricht? was ist Klinik?
2. von welcher Wichtigkeit ist wohl dieses Studium?
3. welches sind wohl die Hindernisse, sowohl überhaupt, und im allgemeinen, als auch im besondern, mit Rücksicht auf unsre Universität?
4. werde ich Ihnen den Abriss, oder einen hurzen Entwurf unseres klinischen Kurses vorlegen.

Dies soll für heute unsere Beschäftigung seyn, wozu ich mir ihre Aufmerksamkeit erbitte.

Was ist praktischer Unterricht, oder Collegium clinicum? Es ist jener Theil des medicinalischen Studiums, worin man die Krankheit selbst, in dem Kranken, durch ihre Erscheinungen, und durch Hilfe der Zeichenlehre aufsucht, sie nach ihren Ursachen bestimmt, und sodann die Kuranzeigen festsezt, auch die angezeigten Mittel alsogleich wählt, und die ganze Kurmethode einleitet.

Man

Man sieht hieraus, dafs dieser Theil der Arzneywissenschaft alle andern Theile *voraussezt*; dafs alle übrigen Theile als eben so viele Hülfswissenschaften für die Klinik, das ist für den Entzweck des medicinalischen Unterrichts gehalten werden müssen. Man sieht überdies, dafs der praktische Lehrer einen ganz andern Weg einshlägt, als der Pathologe, als der Nosolog. So wird, zum Beispiel, in der Nosologie die Definition einer Krankheit vorangeschickt, dann folgt die Eintheilung, ihre Symptomatologie, und so weiter, und diefs alles in einer festgesetzten Kunstsprache, in einer gewissen wissenschaftlichen Ordnung. Ganz anders verhält es sich bey dem klinischen Unterricht. Hier ist die erste Beschäftigung des Klinikers, dafs er eine getreue Geschichte der Krankheit aufnehme, so wie sie ihm der Kranke darbietet, mit den Worten des Kranken dafs er also, um mich *juridisch* auszudrücken, eine genaue *speciem facti* auffetzte. Diefs, ist meine Herren, eine wichtige Arbeit; sie ist schwerer, als man beim ersten Anblick glauben sollte, und ich darf sagen, dafs unter der ungeheuren grossen Menge von Krankengeschichten, womit die Kunst von Zeit

zu

zu Zeit überschwemmt wurde, dennoch eine sehr geringe Anzahl ist, die vor dem Auge des Kenners bestehen, und eine schärfere Beurtheilung aushalten würde. Wir wollen uns beynahe alle Tage in dieser schweren Kunst des medicinischen Geschichtschreibers zu üben suchen, und uns von der Nothwendigkeit einer gutgeschriebenen Krankengeschichte praktisch überzeugen. Wenn nun der Kliniker mit dieser wichtigen Arbeit zu Stande gekommen, so mufs er die Sprache seines Kranhen, in die Kunstsprache des Nosologen übersetzen, er mufs mit seiner Krankengeschichte in der Hand das Verzeichnifs des Nosologen durchgehen, und in demselben seine ihm gegebene Krankheit aufzufinden wissen, gerade so, wie der angehende Botaniker eine ihm vorgelegte Pflanze in seinem Linnäischen Verzcichnisse zu suchen hat. Dafs aber auch dieses Gescäfc viel Uebung fordere, werde ich Ihnen praktisch zu weisen, und Sie davon zu überzeugen täglich Gelegenheit haben.

Da ich Ihnen, meine Herren, einen Begriff geben wollte, was man eigentlich unter dem Kliniko zu verstehen habe, merke ich, dafs ich auch den zweiten Punkt, worüber

ich

ich mich mit Ihnen unterhalten wollte, beynahe schon erörtert habe. Sie sehen nämlich von selbst schon ein, von welcher Wichtigkeit das Studium der Klinik ist, so wichtig nämlich, dafs man ohne dasselbe gar nicht einmal ein Arzt feyn kann. Der Mangel klinischer Kenntnisse unterscheidet denShcarlatan, den Betrüger, von den wissenschaftlichen, grüudlichen, und rechtschaffenen Arzte. Wenn man die meisten Lehranstalten betrachtet, so mufs man sich wundern, wie man den wesentlichen Theil des medizinishen 'Unterrichts — den *Zweck* desselben — ganz und gar ausser Acht lassen, und wie man die Anwendung der erlernten Theorie dem Anfänger, ohne ihm einen sichern Führer zu geben, allein überlassen honnte: wo er so manchmal, und mit so vieler Gefahr seines Kranken straucheln mufste, bis er allein und sichern Trittes einhergehen konnte.

3. Welches sind die Hindernisse des Fortganges in dem praktischen Unterricht? Hier komme ich auf einen Gegenstand, wo ich, um uns zu schonen, um nichts unangenehmes fagen zu müssen, lieber schweigen möchte; es sind der Ursachen, der Hindernis-

nisse so viele, sie sind uns so unrühmlich: ich werde sie dennoch sagen, es ist Pflicht dieses zu thun.

Allerdings ist das Klinische Studium an sich schon schwer: es fordert einen gut organisirten Kopf, und ein besonders pracktisches Talent, womit man zur Welt kommen mufs, und das man sich nie verschaft. Von diesem Punkt ist hier die Rede nicht: ich spreche nur von jenen Hindernissen, die wir uns selbst in den Weg legen, die also von uns selbst abhängen. Sehen Sie hier eine kleine Liste davon. Eins der gröfsten Hindernisse, es in dem klinischen Studio etwas weiter zu bringen, ist der beynahe gänzliche Mangel an *gelehrter Erziehung*, jener Abgang an gehöriger Kenntnifs gelehrter Sprachen, jene Unwissenheit beynahe alles dessen, was in dem ungeheuren Reiche des Denkens vorgegangen ist, und noch vorgeht; jene Kälte, jene Indolenz gegen alles Wissenschaftliche; oder jenes Modisches Geringfügige, Oberflächliche Wisseln, oder aber, wenn es noch weit kömmt, jene Journalgelehrsamkeit, welche aufblähet, aber nicht ernähret. Daher kömmt es, dafs man nur durch die Schule läuft, um etwa ein

Zeug-

Zeugnifs zu erschleichen, um ein elendes Doktorexamen zu machen; dafs man nach langen Jahren kaum ein erträgliches Krankenexamen anzutsellen im Stande ist; dafs man aber die herrlichsten Institute beynahe unbenuzt läst, da doch gewifs kaum ein Land so viele *auxilia externa* zur Vervollkommung der Studien darbeut; dafs unsre Krankenfäle, unsre Entbindungsanstalten, unsre öffentlichen Bibliotheken unbesucht bleiben; dafs man jene vortrefliche Gelegenheit, die *pathologische Anotomie* zu bereichern, bey einem so grossen Krankenhause, bey einer so grossen Mannigfaltigkeit der merkwürdigsten Fälle, beynahe ganz ausser Acht läfst. Daher kömmt auch jene handwerksmäfsige Ausübung der Kunst, wo man nur um gewisse Formalitäten sich bekannt zu machen bestrebet, und mit einigen wenigen, ohne Verstand und Wahl zusammengeraffken Recepten seine medizinische Wanderschaft antritt, während welcher man noch das Bischen Schulkenntnifs, was sich etwa in unsern Studierjahren eingescliechen hatte, ganz und gar wieder ausschwizt, sogar bis zur Vergessenheit der Kunstwörter.

Ich

Ich möchte sehr gerne die eigentlichen Hindernisse Ihres Studiums entdecken. Darf ichs sagen, daſs oben genannte Fehler im eigentlichen Verstande, und vorzugsweise unsre Fehler sind! daſs die Liebe zur Zerstreuung und zu den hunderttausend Nichtswürdigkeiten *uns besonders* auszeichnet? daſs wir nur eilen, den Doktorhut uns ausfolgen zu lassen, und dann des festen Glaubens sind, wir seyen in dem vollem Besitze der goldenen Kunst, und hätten weiters nichts zu thun, als durch allerley Weege uns Kranke zu verschaffen, um uns unsrer Gelehrsamkeit, und unsrer zusammengerafften Recepte möglichstbald zu enthalten. Daſs wir uns vorzüglich *groſs* dünken, weil wir vorzüglich *klein* sind, und nie von grössern Männern der Vorzeit, oder des Auslandes je was gehört haben; daſs wir gleich anfangs recht jugendlich entscheiden, wo uns Schüchternheit, kluges Forschen, lehrbegieriges Berathschlagen besser anstehen würde. Doch ich will diese für uns so unangenehme Seite nicht länger berühren.

Viertens und leztens habe ich Ihnen noch jene Ordnung vorzulegen, nach welcher wir unsre klinischen Uebungen anstel-

len werden. Ich werde Ihnen zuerst die Methode beschreiben, nach welcher man überhaupt Kranke zu *befragen* hat. Das Krankenexamen ist von äusserster Wichtigkeit, da sich die Kuranzeige, und die ganze Heilungsart darauf gründet: da man ohne diese Kunst zu fragen immer ein elender Arzt bleibt, und auf ein blindes Geradewohl hinkurirt. Ein gutes Krankenexamen ist dasjenige, worauf alles ankömmt, weil die Indikationen daraus von sich selbst fliessen, und es hernach leicht ist, jene Mittel zu bestimmen, die den abgezogenen dienlichen Indicationen entsprechen. Diese Kunst eine Krankengescichte aufzunehmen ist nicht nur äusserst wichtig für den Arzt, sie ist auch schwer, wird nur durch viele Uebung erlangt. Eine Krankengeschichte verräth immer ihren Mann auf das überzeugendste, den Stümper, den Hohlkopf, oder aber den Meister der Kunst. Sie sehen also, warum wir mit diesem Theile des klinischen Unterrichts den Anfang machen, und warum wir uns damit eben hier durch den ganzen Verlauf dieses Jahres beschäftigen werden. Es ist aber nicht genug, dafs man seinen Kranken nach den Regeln der Kunst ausfrage; man mufs im Stande seyn,

sei-

seine Gedanken rein und deutlich zu Papier zu bringen. Auch hierinn soll ein Theil dieser Uebungen bestehen. Nach diesem werde ich jene Krankheiten, und ihre Behandlung vorzeigen, die in unsrer medizinischen Laufbahn uns künftig am meisten aufstossen werden, dem Menschen am gefährlichsten sind, und schnelle, entscheidende Hilfe fordern, wo es uns selten gegönnet ist den Zauderer zu machen, oder erst Versuche anzustellen: das ist, wir werden die Behandlung der sogenannten hitzigen Krankheiten zur vorzüglichsten Beschäftigung machen, ohne jedoch die chronischen Uebel ganz ausser Augen zu lassen. Diese Arbeit soll uns durch ein Buch erläutert werden, das die wichtigsten Lehrsätze zur Fieberlehre enthalten wird, und bereits unter der Presse ist. a) Wir wer-

a) Nämlich sein letztes Werk: *Aphorismi de cognoscendis & curandis febribus. Vindobonæ* 1786. *Typis Josephi Nobilis de Kurzbeck. gr. 8av.* Das auch von mir unter seiner Aufsicht in das Deutsche übersezt worden, und in demselben Verlage erschienen ist. Ein Werk, von dem *Stoll* mit Recht sagen konnte: *minime puto me omnes febres attulisse. Proposueram ea solum proferre in Aphorismos redacta, quæ quorundam annorum series me maxime attentum edocuit; vera hæc semper sunt, eruntque, etsi quis demonstraverit, non esse sola, atque alia nova ab se observata adjunxerit, meaque suis locupletaverit.*

werden das Gehörte oder Gesehene jedem Freytag in der Woche zurückrechnen, und zugleich über die Fortschritte in der Kunst öffentlich Rechenschaft ablegen.

Dieſs ist, meine Herren, mein Wunſch, mein Vorhaben, mein Zweck, welchen zu ihrem eigenen daurenden Vortheil glücklich zu erreichen, ich mir ihren Fleiſs, und ihre ganze Aufmerksamkeit erbitte.

COM-

COMMENTARIA
IN
MAXIXIMIL. STOLLII APHORISMOS
DE
COGNOSCENDIS ET CURANDIS FEBRIBUS.

FEBRIS IN GENERE.

Vulgare maxime morbi genus febris eſt, ut duas morborum partes e tribus ad febres pertinere *Magnus Sydenhamus* exiſtimaverit; quamvis nimium hoc noſtris temporibus putetur. Diſſenſus autem hujus ratio hæc, ni fallor, eſt, quod *Sybendamus* febres cum *adpendicibus* ſuis intueretur, alii vero medici ſolas febres, divulſas ab illarum reliquiis & effectibus computarent, utpote quos ad diuturnas potius debilitates ablegandas eſſe exiſtimabant. Qualemcunque calculi rationem ſequamur, id ſemper erit veriſſimum, latiſſime dominari febres. Priſtinis ſæculis forte frequentiores fuere febriles morbi, quales & hodiedum ruri ſunt, at minus funeſti;

nunc forte rariores, at ſæpe lethales. Forte febrium loco morbi alii ſucceſſere, febribus non minus pernicioſi.

Coævus hic fabricæ animali morbus, omnis ætatis homines corripit, quamvis adoleſcentia & virilis ætas febribus magis pateat. Senum febres frequentes. Neque a febre immunis eſt concluſus in utero infans; ſæpe enim per aliquot dies obſervantur validi motus infantum, cum aliquo languore matris: videtur tunc febricitare fœtus; utut matre febricitante non omnino ſanus poſſit eſſe fœtus. Nullus ſexus immunis eſt a febre. Nullus climati, nulli parti anni *ſemper* alligantur febres; in quavis mundi plaga, & quovis anni tempore, & quavis tempeſtate febres obſervantur, utut major minorque ſit & climatum, & temporum, & tempeſtatum ſalubritas. Male ſuas habitationes fixere veteres, nulla habita ſanitatis ratione; hinc urbes integræ, pagi, caſtella in depreſſis, paludoſis locis. At neque vitæ genus, quod ſequimur, laborioſum, an quietum, cum luxu, an cum frugalitate, a febribus nos immunes reddit, Error multorum eſt, qui certo modo vivendi id obtinere arbitrantur. Nocet exactiſſimus vivendi ordo, & diæta tenuis paſſim; ni-

ſi

ſi in debili & valetudinario homine id facere non debemus. Quamvis autem præcaveri febris non poſſit, cum cauſſarum poſitio non ſit ſemper in noſtra poteſtate, tamen id poteſt ſubinde: febres ab ingluvie, ab aëris viciſſitudine manifeſta, calore ſcilicet, frigore &c. vitari poſſunt: ſero detrahendæ veſtes hiemales, cito induendæ; item firmare corporis ſuperficiem ab infantia lotionibus frigidis oportet.

Magna morborum cohors febrili impetu adgreditur, aut deſinit, morbusque vix ullus obſervatur, qui non ſubinde febrim comitem adſciſcat; nonnunquam febris ſolum coincidit cum alio morbo, quin tamen febris morbi illius ſymptoma poſſit appellari.

Plerorumque morborum chronicorum origines morbis febrilibus male curatis debentur. Pleuritis non bene curata cohæſiones partium, pulmonum inter ſe, cum pleura, pericardio, hujusque cum corde, relinquunt. Peripneumonia haud ſufficientibus venæ ſectionibus tractata, aut præmaturo remediorum expectorantium uſu, aut veſicantibus exacerbata, nodoſos & tuberculoſos relinquet pulmones; inde lenta a pure tabes, aut aſthma inſanabile. Febris bilioſa mala arte in

putridam conversa hominem per omnem sæpe vitam mulctat. Febris intermittens diutius relicta, aut præmature suppressa lienosos, ictericos, rachiticos, hydropicos facit, aut cacochymiam biliosam inducit. Fœminæ sæpe graviter mulctantur ab acuta febre, ob neglectam curam confirmatoriam; non enim hæ prius sunt dimittendæ, quam index apparuerit sanitatis, fluxus nempe genitalis profluvium. Ultima denique humani corporis infirmitas, si eos homines excipias, qui violenta morte pereunt, aut summo senio consumpti e vita decedunt, plerumque febris esse solet.

At ipsa febris, ut ait *Celsus*, quod maxime mirum videri potest, ipsa sæpe præsidio est. Gravis est hæc observatio, febrim esse subinde remedii instar. In plerisque enim chronicis morbis adest obstructio, humorum lentor atque inertia, dejecta vitæ vis, ut facile capias, quo modo febris possit esse præsidio. Morbos articulorum a febre olim ortos nova exorta febre curatos novimus. Pertinaces lumbagines non febriles, ischiades non febriles, insanabiles hucusque, sanavit orta fortunato febris, qualia exempla in nosocomio habuimus. Potentissimum remedium

re-

resolvens febris est, ut manias a febre sanatas legamus. Vidimus ipsimet residuos venereorum dolores, quos a lue restitantes, nulla potuit hydrargyrosis domare, nulla potuerunt excutere alterantia, abstersos orta quadam febre acuta. Utinam esset in medicorum potestate febrem excitare, quando & quousque conducit; utinam æque certo possent producere febrim intermittentem, ac illam valent comprimere! maniacis, scrophulosis, rachiticis, lienes magnos habentibus, arthriticis id apprime conduceret. Prostant experimenta sæpius repetita febris per artem innoxie excitatæ, non diu durantis, & vomitu ac diarrhæa post 24 aut plures etiam horas judicatæ: scilicet, uncia unica aquæ cujusdam destillatæ in venam apertam infusa. Damnosam quidem, & ea ratione, qua olim adhibebatur, neutiquam revocandam arbitror hanc remediorum infusionem in venas; tamen cum in epilepticis e. g. & maniacis omnem penum remediorum, & methodos omnes sæpius exhauriamus, saltem his in casibus aquæ infusionem in venam, ut validior paroxysmus oriatur, non rejiciendam hanc medicandi rationem ex toto existimo.

Præterquam autem, quod febrium frequentia & latissimus illarum dominatus dignitatem atque necessitatem hujus doctrinæ demonstret, aliæ tamen adhuc rationes supersunt, cur plus operæ debeamus in hac medicinæ parte consummere. Reliqui enim morbi, utpote potissimum chronici, attenta observatione, spectando juvantia & nocentia, facilius addiscuntur, atque cum tardius moveantur, spatium concedunt deliberandi, medicos alios, itemque libros consulendi; acutorum autem decursus præceps est, ut juvantibus & nocentibus dirigi nequeas, periculum in propinquo & consilium ex arena capiendum. Præterea error semel in acutis commissus sæpe irreparabilis & perniciosus: si enim e. g. colicam inflammatoriam habeas pro biliosa, hepatis inflammationem cum vomitu, item vomitum æruginosum ob inflammatum ventriculum, aut pressum inflammatumque encephalon, pro materie turgente, qualis & quantus nascitur error! Nemo denique chronicis morbis bene medebitur, nisi simul acutorum curationes bene calleat.

Hæc cum ita se habeant, mirabatur *Stollius* multorum levitatem in addiscenda & exercenda medicina, ut mallet potius nullam,

&

& medicos, ut olim *Roma*, ſic *orbe univerſo* pulſos, quam tales qui in tam ancipiti negotio tam perfunctorie verſantur.

FEBRIS NATURA.

Primo in limine magna difficultas occurrit, nempe agitata a plurimis quæſtio, quid ſit febris. Quidam febris naturam poſuere in *cal r. præternaturali:* Verum tamen non omnem qui præter naturam incaluit, febrire dices; qui curſu, loquela intenſiori incaluit, num ideo febrit? adde & hoc, quod febres quædam obſerventur, ubi calor, ſi ægri corpus contrectes, aut thermometro explores, naturali major non eſt, etſi æger uri ſe vehementer aſſerat. Sed etiam id notandum, perſæpe nec ab ipſomet ægro calorem naturali majorem ſentiri, nec ab adſtantibus; quin imo febres dantur, cum continuæ, tum intermittentes, quæ ſolo frigore, nulloque calore ſe produnt. Videtis, quam neque frigus præternaturale febris ideam adcuratam exprimat, cum hoc ſymptoma *pluribus* equidem febribus, neutiquam tamen cunctis inſit. Alii mutationes pulſuum varias, & præternaturales aſſumpſerunt pro febre definienda; verum

non

non infrequentes eæ febres ſunt, quæ pulſantem arteriam ne hilum turbant; ægrique ſubinde ex febre pereunt, pulſibus bonis ad ſpeciem. Qui functiones læſas, laſſitudinem, alternas caloris frigorisque viciſſitudines pro febris idea aſſignant, in easdem ubique difficultates impingunt. Nullum omnino dari ſymptoma exiſtimo, quod & *omnem* febrem comitetur, & *ſolam*, & *ſemper*.

Nihilominus, etſi febris definitionem logicam, & adæquatam nullam habemus, habemus tamen ejusmodi deſcriptionem, quæ medicum ad ægrorum lectos accedentem haud diu incertum teneat, an præſens morbus ad febres, aut ad morbos non febriles pertineat, Si enim videas ſine manifeſta cauſa calorem animalem auctum, pulſum e conſueto ritu abludentem, atque læſam aliquam corporis functionem, febrem adeſſe dicito. Præter corporis delaſſationem ſæpe nulla alia functio læſa obſervatur.

Pathologi inquirunt in naturam & eſſentiam febris; nolo itaque opiniones varias, innumerasque hypotheſes enumerare, quas veterum & recentiorum ferax protulit ingenium. Adeat, cujus intereſt, celeb. *Burſierii* opus de febribus, in quo critica habe-

tur

tur harum opinionum expofitio. Id folum addo: Vim animalibus infitam effe, qua fe adverfos morbos tueantur, omnes agnoverunt; folummodo differebant in virium harum compellatione. Quidam Archæum, feu quemdam quafi vitæ præfidem tutoremque ftatuerunt, qui irritatus adverfus caufas febriles infurgat. Alii animam pofuerunt corpus diverfimodo modificantem. Alii hanc vim ex mechanicis conabantur explicare. Sunt hæ illæ medicatrices naturæ vires, feu *Hippocratis Natura medicatrix morborum.* Defignatur non inepte per *Hallerianam* fibrarum mufcularium, quæ cordi & arteriis ineft, irritabilitatem. a) Quodfi igitur a caufa finali febrim velis defcribere, erit ea, juxta *Sydenhamum*, falutare conamen naturæ, fefe ab aliena quadam, & inimica materie liberare conantis. Aut paucis: *affectio vitæ conantis mortem avertere.*

a) Illuftr. Baldinger de irritabilitate Halleriana. Celeb. Gruner Diff. de irritabilitate.

Sequitur inde gravis regula in febrium fanatione obfervanda, fcilicet ne omnem febrem damnes, fed eadem utaris in emolumentum ægri. Non ergo mox vena tundenda,

da, non ftatim ad arma clamandum, ubi motus febriles obfervaveris.

In cura autem febrium aut breviori methodo, & per compendium caufa eft auerenda, contra quam febrilis motus infurgit; aut negotium hoc ipfi febri eft relinquendum, quam tunc moderari & dirigere oportet, ut mediante febre fcopum propofitum obtineamus, fcilicet irritantis caufæ ablationem: exemplum hebemus in fefluca per artem exempta, aut relicta, & per fuppurationem eliminata. Hinc notio habetur methodi *directæ*, & *indirectæ*.

Quæritur jam, quandonam oporteat febrim directe oppugnare, vel vero eadem uti tanquam auxiliatrice & mediatrice? quæftio momentofa! en refponfum. Indages in caufam febris *materialem*, in id, quod natura adgreditur, & amoliri conatur excitato hoc motu febrili. Quod fi videris ejus naturæ, feu caufæ materialis indolem, & fedem talem effe, ut tuto ipfe faciliori methodo, & citra ambages eam poffis removere, removeas; fecus vero totum negotium febri committito, ita, ut eam folummodo contineas intra juftos limites. Res exemplo clarefcet: vides febrim ortam ab ingluvie, faburra ranci-

cida, vinofa in uno homine, in alio vero febrem ortam ab aliena materie, minutioribus vafculis impacta, rheumatica, arthritica. In primo homine caufam morbi materialem febri non committes, fed tu ipfe illam emefi, catharrfi ejicies; in altero febrim folummodo ad moderamen rediges, cum tibi nulla directa poteftas fit in materiem fubtilioribus vafculis impactam, hinc tanquam bono inftrumento uteris ipfa hac febre; videbis, ne *torpeat*, ne *exorbitet*, ne *aberret*.

Inde etiam patet, medicum vere effe *Naturæ* miniftrum, eumque debere medendi rationem edoceri ab ipfa natura.

Celebris eft alia, a veteribus præcipue, agitata quæftio; an fcilicet præternaturalis cujusdam humoris conditio, feu is copia, aut mixtione, aut heterogenearum particularum additamentis peccet, febrem proxime producat, ut ergo alias febres a *fanguine*, alias a *bile*, a *pituita* iterum alias oriri exiftimaverint. Difplicet hæc *humorum pathologia* noftrorum temporum medicis, qui non in humoribus, fed in *folido vivo*, cui & fenfus & motus ineft, nempe in *nervis*, omnem febris caufam effe volunt. Fatendum fane, erraffe veteres quodam modo, eum ftimulum

febri-

febrilem aut in humoribus præexiſtentem, aut poſthac in iisdem evolutum poſuere, prætermhabita ſolidarum partium in ſtimulum febrilem reactione. At nihilominus illud certiſſimum eſt, noſtros humores, cum evidentius præ cæteris febrium effectibus, de perturbata corporis animalis œconomia nos admoneant, ob id ipſum non ſolum ad dignoſcendos, ſed etiam ad perſanandos morbos, maxime idoneos haberi. Patet aſſerti hujus veritas regnante Epidemica febre, quæ ad humores manifeſtius pertinet, *febre* nempe *bilioſa*. Non equidem nego, & ſolidas partes a febrili ſtimulo, ab humore biliformi aut copioſiori aut acri facto, affectas eſſe; id tantum volo, cum id, quod in humoribus præter naturam eſt, & ſenſibus vehementius percipiatur, atque determinatu facilius ſit, humorum vitia dignoſcendis febrium generibus inſervire, medicosque in medendo diripere. Dabo id quoque, in ſolidis partibus omnium primo febriles motus fuiſſe productos; patet tamen, mox etiam in humoribus præternaturalem orituram eſſe miſcelam, qua fit, ut humor quicunque præter naturam conſtitutus, novum ſit febris irritamentum, quod etſi *mediate* tantum febrilem ſtimulum conſtituat, expelli nihilominus ex corpore a medico debet. CAU-

CAUSÆ FEBRIUM.

Ad caufas febrium tranfitum nunc facio, quarum duo genera habentur, *excitantium* fcilicet, & *prædifponentium*. Ex utriusque connubio caufa febris *proxima* oritur, cordis nempe, & arteriarum ad expellendum præternaturale irritamentum exftimulatio. Innumeræ autem caufæ dantur, quæ cor atque arterias ftimulant; hinc innumeræ etiam caufæ excitantes. Saniffimus fubinde homo ægrotat, fi in aliud clima transferatur, ibidemque moretur. Item qui ex editioribus ad profundiora, ex frigidis ad calidas regiones, ex aëre mundo ad impurum deveniunt; hinc medici nofocomiis præpofiti, & infirmariæ, initio fubinde graviter ægrotant, donec putrido aëri affueverint. Ejusmodi febres caufam materialem intra ægri corpus non habent; nil eft in iis vitiofum; materies morbi ipfo febrili motu primum generatur; nifi velis affumere pro materie morbifica ipfum corpus analogum quidem *alteri*, non tamen huic *climati*.

Caufa prædifponens per febrem ipfam tollitur in perpetuum uti e. g. in variolis, morbilis; aut ad tempus folummodo, uti in bilio-

liofis, aliisque febribus. Unde autem id fiat, ut alio atque alio tempore omnia corpora in hanc vel illam febrim fint proclivia magis, ignoratur. Videtur effe caufa prædifponens utplurimum analoga certæ cuidam conftitutioni temporum, ita, ut ea mutata conftitutione & prædifponens caufa mutetur. Si ea caufa prædifponens non omnis auffertur, morborum relapfus: Exemplum habetur in febribus intermittentibus, quæ omni præternaturali humore evacuato, confiftunt, usque dum *character* febrilis corticis peruviani ufu deleatur.

Caufæ *excitantes* in duas iterum claffes dividuntur. In *univerfales*, & in *fingulares*. Singulares ad varia iterum capita revocantur; fequentia fcilicet:

SINGULARES FEBRIUM CAUSÆ.

Ingefta acria. Eam effe humorum, qui in corpore humano vitæ viribus circumferuntur, conditionem, excrementitios humores fi excipias, ut priva finguli gaudeant blanditie, quæ, donec nullis alienis particulis foris advenientibus, aut fpontanea vi alterius morbi inducta degeneratione alteratur, ad

ma-

maxima certe ſanitatis momenta pertinet. Quinque autem generibus alienos hos in corpus ingeſtos ſtimulos ſchola complectitur. Non autem exiſtimes in ſtomacho ſolum & inteſtinali tubo corpus alienum acre vim ſuam exercere potiſſimum, non itidem in ſecundis, ut ajunt, viis, quas modo non uno contra hoſtilis cujuscunque materiæ ingreſſum benigna præmunire Natura voluit; nam humorum blandiſſimum, lac nutricis a potu fermentato temulentæ, in lactente puſione veneni adinſtar acrimonia ſua intolerabili convulſionem lethalem excitaſſe, exempla habentur; alii etiam aſſumpti odor in lacte percipitur; purgantis remedii nutrici exhibiti virtus una cum lacte in infantis corpuſculum traducitur; ut dubium ſuperſit nullum, acria quæcunque ingeſta & primis viis, & ſecundis etiam eſſe inimica. Videamus præcipua talium ſtimulorum exempla.

Cibus, quem aſſumimus, etſi, ſi ſolum ſpectes, acer non ſit, ſubinde tamen, ob debiles ventriculi coctricis vires, brevi mora, poſtquam fuit ingeſtus, acrimoniam acquirit. Cito e. g. lac aſſumptum aceſcit in hominibus debili ventriculo præditis. Tanto citius, pejusque læditur ventriculus, ſi acta

acria assumas alimenta, carnes pifcesque falitos, vetuftum cafeum, aut pinguia, oleofa, corporis calore in rancidam mox acrimoniam degenerantia. Frequens inde origo fordium fyftema gaftricum gravantium. a) „ alimenta difficilius fubigenda, præcipue autem pinguia, quæ in loco calido humidoque, qualis ventriculus eft, cito rancefcunt, & fi acidis jungantur, in peffimam acrimoniæ corrofivæ, urentisque fpeciem abeunt. Hinc enim eft, quod lardum, cui quis vinum fuperbiberit, longe citius & gravius vitium in ventriculo contrahat, quam fi eundem cibum aquæ potor commederit. „ Non autem fufficit alimentum haud notabili acrimonia præditum effe, fed ita infuper effe debet comparatum, ut a viribus coctricibus facile poffit fubigi, & liquidorum inquilinorum admiftione reliquis humani corporis humoribus affimulari, iis, quæ mutari ultra non poffunt, fuo tempore, viisque congruis e corpore eliminandis. Mutua tamen in cibis coquendis digerendisque alimenta inter atque vires coctrices ratio intercedit; durus enim arator carne bubula, pingui lardo, fumo induratis impune vefcitur, atque optime nutritur: debilis autem puella ab iisdem affumptis gravatur,

fan-

languetque: at ex oppofito exquifitior matronæ delicatæ victus robufti hominis ftomacho parum conveniret, utpote nimium tenuis, ut vires coctrices ad reactionem efficacius follicitaret.

Non autem prava tantum ciborum conditio, fed ipfa alimentorum copia, fi tanta eft, ut ventriculus iis fubigendis impar fit, & vifcera chylopoietica bonæ indolis chylum elaborare haud queant, febrim non raro validam in prædifpofito homine excitat. Quotidie in magnis urbibus febriles morbos ab ingluvie invitari quis medicorum nefcit? contingit id præcipue, fi alimenta fponte ipfa mora in putredinem vergant, vita otiofa, inersque accedat, ut fub ipfo onere alimentorum affimilatrix natura debeat fuccumbere.

Stoll Ratio medendi. P. 1. p. 64.

Quæ de cibis, ea ferme de *potu* valent, aut nimia copia ingurgitato, aut nimis igneo ftimulo cor atque arterias irritante. Hæc indoles fermentariis præcipue liquoribus ineft, quorum immodico ufu febres crapulares dictæ, quod tamen inter minima mala ponendum eft, & fat frequenter acutiffimæ febres oriuntur: fic grammatici puer dum vehementi fiti cruciaretur, nec adeffet aqua, vinum

an-

antiquum liberaliter potavit, atque inde reliquo tempore vigil permanſit; poſtea correptus febre, una cum vigiliis, oborto delirio periit. a)

a) Galen. de locis affectis, in fine capit. ultimi. Char. T. VII. p. 423.

Ad cauſas excitantes largus etiam, qui nunc latiſſime patet, *condimentorum* uſus pertinet, quo, uti nunc eſt artis coquinariæ luxuria, famem arte excitare, & dejectam otio, ingluvieque ventriculi vim erigere ſtudent homines. Pertinet huc, præter pauca, noſtro ſolo indigena condimenta, uti allium, cepa, acetum, ſal &c., quæ corrigendis potius, quam in ſanitatis perniciem depravandis eſculentis inſervire deberent, omnia ex Indiis allata aromatum genera. Ineſt omni aromati inflammans vis, quæ acutiſſimas ſæpe febres excitat. Vulgo uſitatum remedium eſt, ait Ill. *van Swieten*, a) ad ventriculi languorem curandum piperis grana deglutire; neque multum mali inde fiet, cum integra aſſumuntur, alvo enim exeunt vix mutata; ſed vidi calidiſſimam & periculoſam admodum febrim excitatam, dum contriti piperis magnam copiam ſumpſerat homo; fervidiſſimum enim aroma piperis ſimul tam tenaciter hæret, ut neque

octa-

octava coctione in aquæ puræ magna quantitate potuerim illud eluere; unde quamdiu in corpore hæret, pergit suo stimulo agere. Robustissimus in flore ætatis rusticus quartana diu laboraverat, cujus, quamvis jam verno calore mitescentis, pertæsus, temerario rudis agyrtæ consilio magnam copiam seminum sinapi contritorum, & spiritu juniperi dilutorum, sumpsit tribus ante paroxysmum horis, sed funestissimo eventu; innocua enim quartana in febrim ardentissimam versa tridui spatio illum e medio sustulit.

a) Ill. van Swieten comment. Tom. II. p. 32.

Medicamina etiam, quibus frigidis lentisque morbis medemur, excitata artificiali quadam febre, quæ spissos humores attenuat, atque inertes fibras exstimulat, sanitatem restituunt. Ob id ipsum, si ab emetico aut cathartico medicamento magnas, easque nimias turbas metuimus, hanc nasciturum sanguinis agitationem secta vena præcavere *Sydenhamus* suasit, a) Ita in febre biliosa, etsi sanguinis missio per se non indicetur, corpus tamen venæ sectione ad emesin præparandum est.

a) Sydenhamus. Epistola respons. prima, p. 395. & in schedul. monitor. de novæ febris ingressu. p. 677.

Ea eſt œconomiæ corporis humani lex, ut omne id, quod intra humorum maſſam inutile, aut etiam nocivum habetur, per vias congruas mox eliminetur. Huic negotio tres præcipue viæ inſerviunt, quibus excernenda evacuantur; viæ nempe urinæ, alvi, & perſpirationis cutaneæ. Non impune diutius fertur harum evacuationum, quæcunque ea fuerit, ſuppreſſio; accumulatur enim indigeſta acrisque, febris irritamentum, materies. De *perſpirabili ſanctoriano* hæc præcipue dicta ſunto, quæ evacuatio & per univerſam corporis ſuperficiem, & continuo, largiori nunc aut parciori copia, peragitur. Peſſime multantur homines, dum calenti corpori frigus ſubito admittunt; fallax enim hoc refrigerium acutiſſimas pleuritides producit. Leviſſima inunctio leviſſimi etiam olei in quibusdam eryſipelas & ſæpe febrem accendit. Quantum perſpirationis libertas ab animi tranquillitate adjuvetur, vel ipſe hominis hilaris ſuaque ſorte beati conſpectus docet; plenior enim faciei, & toroſior muſculorum habitus a largiorum humorum tenuiorum in patula celluloſæ telæ interſtitia; roſeus genarum color a ſanguine in eam telam transſudante; nervorum vigor, celerum pulſuum micationes, univer-

ſim

ſim grata vitalium virium intenſio: at in homine longis præſertim mœroribus affecto, collapſa facies, pallor, muſculorum languor, frigus, virium cordis debilitas, verbo, animus, corpusque marcet; uti in hilari homine largior ad corporis ſuperficiem humorum appulſus, ita in triſti animi affectu humorum verſus interiora recurſus; fieri igitur nequit, quin in tanto virium vitalium languore cutanea etiam perſpiratio langueat, quæ & ob copiam, & acritudinem febrim excitare potis eſt. Id certiſſimum, metum & mœrorem homines ad febres maxime reddere prædiſpoſitos.

Eam eſſe ciborum quorundam & potuum generibus proprietatem, ut magna copia ingeſta perſpirationem inſenſibilem plurimum minuant, *Sanctorius* obſervationibus confirmavit a) Hinc eſt cur victus, quem ventriculi vires nequeunt ſubigere, vel ob id ipſum, minuendo nempe tranſpirationem inſenſibilem, homines reddat febribus recipiendis magis aptos. Idem efficiunt medicamenta draſtica, atque venena, nimium evacuando, atque corpus vehementius turbando, atque inducta virium proſtratione.

a) Sanctorius Aph, 166, 68. aph, 369.

Insigne autem liberioris transpirationis impedimentum in aëris humiditate habetur. Aliquando tales nebulæ observantur, quæ ad parietes & pavimenta marmorea hærent, & collectæ pinguibus quasi striis decurrunt; aliquando & insolitus illa anni tempestate aëris tepor adest, tuncque omnes homines majorem corporis gravitatem, & lassitudinem percipiunt, quæ certissima imminutæ perspirationis signa sunt. Cœnosum vocat talem aërem *Sanctorius*: a) *in cœnoso prohibetur perspiratio; meatus implentur, sed non densantur; fibræ laxantur, non roborantur, & pondus perspirabilis retenti lædit & sentitur.* In frigido autem, & salubri aëre perspirationem quidem prohiberi monet, verum perspirabilis retenti pondus nec lædere, nec sentiri, quia frigore densantur meatus, & roborantur fibræ.

a) Aph. 47. 48.

Ad minuendam transpirationem exercitia solita remissa faciunt; ut enim aucto solidorum & fluidorum motu excretionum omnium libertas pendet, ita exercitiis solitis; remissis ultima elaboratio ingestorum impeditur, & expulsio illorum, quæ naturali lege de corpore eliminari debent, retardatur. Exercitio corpora leviora fieri, & perspirabile ad exha-

la-

lationem præparari monet *Sanctorius*; & contra quietem longam efficere corpora ægrotantia ponderiosiora, quia cibi & potus non digeruntur, & perspirabile excrementum non præparatur ad excretionem, unde omnia mala, & sæpissime mortes eveniunt. a)

a) Aph. 386. 89.

Vim *animi* in corpus demonstrant animi pathemata. In sanissimo e. g. homine ob atrocem contumelium illatam, summa ira sæpe nascitur, & febris, & a sola mutata cogitatione totum corpus mutatur. Magis nocent nimii animi motus, quam nimius corporis motus, uti optime notavit *Sanctorius*, a) quia quiete & somno corporis motus compesci potest, animi non ita.

a) 494. 496.

Verum & validi corporis motus, si diuturni fuerint, præcipue in non assuetis, febres accendere possunt. Unicum exemplum ex *Hippocrate* adduxisse sufficiat. a) Adolescentem ex lassitudinibus, laboribus & cursibus præter consuetudinem, febris prehendit, a qua septima die periit. Jamque prima die urinæ tenues, subnigræ, vigiliæ, alvus turbulenta aderant, secunda die mens pertur-

ba-

bata, tertia die anxietas fumma, & extrema corporis frigida erant, ac livida.

a) Hippocrat. Epidem. 3. ægrot.

Calor & æftus aëris frequentiffima febrium caufa eft. Ita phrenitides oriuntur ab infolatione; atque biliofarum epidemicarum febrium genefis ab æftivis præcipue caloribus derivanda eft.

Sed etiam ab acribus *externe adplicatis* febres oriri obfervatis conftat. Cantharides adplicatæ pluribus locis fimul toties febrim, fitim fummam, ftranguriam, mictum fanguineum fecerunt, unde & in languidis frigidisque morbis fæpe tanti ufus funt. Dum miferæ puellæ arfenicum butyro miftum capiti illineabatur, fæviffimi dolores oborti funt, & fruftra caput aqua abluebatur: fupervenerunt vigiliæ, totius capitis intumefcentia, deliquia, febricula, delirium &c; & fexto die periit. a) Dum rudis agyrta fublimatum corrofivum magna copia emplaftro infperfum, tumori externo, quem erodere volebat, applicuerat, horrenda mala, & miferrima mors fequebantur. b)

a) Wepfer. cicut. aquat. hiftor. & noxæ. cap. 21. p. 289.

b) Degner. hiftor. med. de dyfenter. p. 234.

Ul-

Ultima denique caufarum fingularium claffis omnes res illas continet, quæ blandam fanguinis humorumque crafin potenter immutare valent; ut cacochymia oriatur, non nifi febre oborta, aut perfananda, aut in mortem terminanda. Cum ingens fit numerus talium caufarum, præcipuas tantum enumerabat *Boerhavius*, atque inter has famem, evacuationes nimias, pus, aquas hydropicorum, ferum acre collectum, bilem accenfam, inflammationem ejusque effectus, vigilias nimias, ftudia acriora, venerem nimiam, recenfuit. Non autem miremur ftimulos hiscemodis præternaturales nafci, cum aut fanguis blandiffimis partibus orbetur, aut crudis humoribus obruatur, aut acrior jam quæcunque alicubi collecta materies in humorum circulum revehatur, aut denique ipfa mens meditationibus profundis, iisque affiduiis immerfa, modo nobis incognito, turbatas fenfus motusque actiones producat.

FEBRIUM PARTITIO.

Febrium divifio, uti & denominatio medicos multum exercuit. Antiquiffimi medici, & ipfe *Hippocrates* plurimas febres diftinxit, de-

demonſtravitque ab aliquo eminente ſymptomate. Ita e. g. febrem ardentem vocarunt, ſeu *cauſon*, ubi gravis ægrum urebat ardor, isque utplurimum ſiccus; denominatione deſumpta non cauſa morbifica, ſed ab eminenti hoc ſymptomate, ſcilicet ardore valido. Verum tamen patet, febrim ardentem ita definitam non ſemper unam eandemque eſſe; quippe dantur febres vere inflammatoriæ cum ingentis ardoris ſenſu; dantur item bilioſæ, putridæ, malignæ &c.

Sic dicta ipſis eſt febris *Epialas* illa, in qua æger omni tempore, & toto corpore ſimul frigore riget, ſimulque calore intercurrente perſtringitur. Symptoma hoc *aſſidui frigoris cum intermixtis caloribus* differentes quoque febres comitatur; inflammatorias, bilioſas, putridas, malignas, intermittentes, remittentes, diverſa ratione; hinc iterum videmus, quam nulla certa notio huic febris Epialæ deſcriptioni ſubjaceat. *Febris Typhodes*, ac ſi febrim attonitam diceres, ea Veteribus dicebatur, quæ encephalon ita afficit, ut æger ſtupidus, & attonitus jaceat. Pravum ſymptoma peripneumonicorum, pleuriticorum, febris putridæ, malignæ: en denuo quam differentibus febribus Typhos, ſeu ſtu-

por jungatur, quam non sufficiat febrim typhodem nominasse. Alia scholæ Veteri febris Assodes appellabatur, quæ cum [magna ægrorum inquiete, jactatione, per lectum volutatione observabatur; subinde vero illam febrem Assoden dixerunt, in qua æger vomituriens & nauseabundus est, ac si diceres *febrim nauseabundam*. *Lipyria* Hippocrati frequenter nominatur, eaque est unanimi consensu, ubi artus extremos algor occupat, dum interim interiora ardor exurit. Febris singultuosa, seu χυγγώδης, solo nomine sui ideam prodit, febris est cum singultu conjuncta; febris est denuo diversissimæ indolis; etenim singultum febrilem videmus vel in inflammationibus viscerum abdominalium, in saburra varia, biliosa, verminosa; in aphtis ventriculi & intestinorum, singultum subinde a sola nimii potus aut frigidioris assumptione, a perfrigeratione, a sola spirituum atonia in ægris paulo irritabilioribus: universim toto cœlo disparatas febris singultuosæ species habemus. Alia adhuc suppetunt febrium apud antiquos nomina; quorum nominum vis latere ideo nos non debet, ut Veterum nosse & legere scripta possimus. Facile credo consideranti patebit, quam hæc methodus classi-

fi-

ficandi febres ut plurimum inepta ſit. Quippe cum denominatio febris a quodam evidentiori ſymptomate deducatar, cumque ipſa ſymptomata numero propemodum ſint infinita, neceſſe erit, ut numerus febrium in infinitum creſcat. Præterea id etiam incommodi hæc methodus habet, quod ſub eodem vocabulo diverſæ non raro febres veniant; idem enim prorſus ſymptoma, ardor idem, idem frigus, eadem nauſea, idem ſudor &c. differentes febres comitatur.

Alia febrium diviſio habetur a *periculo & duratione.* Hinc duæ ampliſſimæ claſſes: *acutarum* febrium, quæ velociter, & cum periculo decurrunt, atque *lentarum*, quæ tarde decurrunt, cum, aut ſine periculo. *Acutarum* varia iterum diviſio: aliæ enim *acutiſſimæ*, quæ intra quatuor dies cum periculo decurrunt, & ad ακμην perveniunt, uti quædam peripneumoniæ, anginæ, phrenitides: *peracutæ*, ubi ad ſummam perveniunt intra ſeptem, octo dies: *acutæ*, quæ intra viginti dies terminantur; ſi ſerius terminantur febres, *acutæ per decidentiam* appellantur. Usque ad 100, vel etiam 120 dies numerantur *acutæ per decidentiam.* Melius tamen dicuntur *lentæ*, chronicæ febres, quæ centeſimum diem ex-

excurrunt; durant per menſes, ſæpe & annos, & minori vehementia decurrunt. Hæc nomenclatio morbi gradum ſolum notat, non autem ſpecificam differentiam. Eadem enim e. g. peripneumonia poteſt eſſe acuta, acutiſſima, &c.

Ratione decurſus alia occurrit iterum partitio: *continuæ* febres dicuntur, quæ uno tenore pergunt, ita ut *manifeſta & periodica* exacerbatio non obſervetur. *Continua remittens*, quæ quidem ſemper continuat, ita tamen, ut ſeu certo, ſeu incerto tempore manifeſte exacerbetur, iterumque remittat. Non ſufficit lenior, & vaga febris intenſio. Prout exacerbatio redit *omni die*, *omni tertia die*, aut *omni quarta die*, ita *continua remittens quotidiana*, *tertiana*, *quartana* dicitur. Raræ ſunt continuæ remittentes *quartanæ*, crebriores *tertianæ*, admodum frequentes vero *quotidianæ*. Quod ſi quotidiana ſit exacerbatio, attamen una die *gravior*, levior *altero*, dicitur *hemitritæos*, ſeu *ſemitertiana*. *Intermittentes* illæ dicuntur, quæ certo tempore ingruunt, & vel poſt paucas horas, vel poſt nychtemerum, vel poſt bina nychtemera redeunt: *quotidianæ*, *tertianæ*, *quintanæ*, &c. ſimplices, & duplicatæ.

Op-

Optime febrium divisio ex ipsa causarum excitantium classificatione petitur: ut ergo sint:

I. *Febres universales*: quæ a causis universalibus oriuntur: i. e. ejusmodi causis, quæ in pluribus ægris simul eadem ratione affectis deprehenduntur: Harumque iterum *triplex* divisio:

a. *Stationaria* febris: cum causa universalis in certa atque periodica annorum constitutione habetur.

b. *Annua* febris: cum annua aëris mutatio febrium universalium causa existit.

c. *Intercurrens*: si universale quoddam in populum diffusum miasma plures simul homines afficit: e. g. variolarum atque morbillorum miasma.

II. *Febres singulares*, seu *sporadicæ*, tales nempe, quæ domestico cuidam vitio debentur: e. g. febris ab ingluvie, a vulnere; febris lactea &c.

Cum vero ex his febrium divisionibus, si eas solas spectes, nulla possit agendorum in morbis ratio deduci, alia erat ab Authore febrium divisio constituenda, quas *Cardinales*, seu præcipuas vocabat, cum ad eas aliæ ple-

ræ-

ræque possint revocari. *Neque enim Artis officium est, ut Columella* a) quondam de agricolatione præcepit, *per species, quæ sunt innumerabiles, evagari, sed ingredi per genera, quæ possunt cogitatione mentis, & ambitu verborum facile copulari.*

a) Columella de re rustica. L. I.

Mitto alias, quas plurium febrium divisiones, a *pathologis* sat prolixe enumerari solitas.

FEBRIS STATIONARIA.

Gravissimam hanc de febre stationaria doctrinam magno debemus *Sydenhamo*, qui primus observavit, dari stationariam quandam febrem, seu subinde hanc vel illam febrem determinatam per annum, biennium, diutius etiam ita dominari, ut eadem ferme sit in omnibus per ea tempora febrientibus. Descriptiones Epidemiarum graviorum ab aliis etiam auctoribus traditas accepimus, sed constitutionum epidemicarum successiones, dominatum, nexumque cum aliis in Epidemici castra transeuntibus morbis ante *Sydenhamum* vix habemus. Video virum immortalem laudari ubique, at dubito, num omnes ejus encomia.

miastæ intelligant, quanam in re vere magnus habendus sit. Non a nitore stili, non a formularum medicarum concinnitate, non a novorum remediorum gloria commendandus est, sed ab hac unica observatione, pluribus annis confirmata, dari nempe stationarias febres, quæ non alligatæ visibili aëris mutationi, per aliquod tempus grassantur, & plerosque alios morbos maxime febriles, sub suum jugum cogunt.

Cogitanti mihi sæpius, quanam potissimum ratione ad hanc Naturæ legem detegendam *Sydenhamo* aditus fieri poterit, duplici id via fieri *potuisse*, atque ab ipso Sydenhamo easdem vias posteris etiam patefactas esse, per attenta operum summi Viri lectitatione, non obscure deprehendisse mihi videor.

Primo itaque communior etiam observatio, eundem ad speciem morbum, pleuritidem e. g. nunc in vulgus sævientem, non eidem methodo medendi, quæ aliis annis optima fuerat inventa, etiam nunc intemperare, neque tam largas, ut olim, sanguinis evacuationes ferre posse, communior hæc inquam observatio admonere potuit *Sydenhamum* non omnino fortuitam esse hanc pleuritici morbi indolem, utpote diversis temporibus diverso

etiam

etiam remediorum apparatu profligandi. Atque ipse *Sydenhamus* a) afferit, se pro comperto habere ex multiplici accuratissimarum observationum fide, epidemicos morbos, præcipue febres continuas toto cœlo differre, ut, qua methodo currente anno ægrum servaveris, eadem ipsa, anno jam vertente eundem e medio tollas.

a) Sydenham Opera p. 40.

Altera autem via, qua hanc legem detexerat, hæc fuit: Observaverat e. g. variolas (1667. 68. 69) passim grassantes. a) At eodem tempore febris regnabat, quæ maximam habebat similitudinem cum variolis his epidemicis, ea si demas symptomata, quæ eruptioni materiæ variolosæ propria sunt. „Nam eodem modo uterque morbus adgrediebatur, dolor idem in partibus, quæ cordis scrobiculo subjacent, si manus admoveretur; linguæ item color, urinæ consistentia. Sudores spontanei copiosi ab initio oborti ubique respondebant. Propensio itidem, quam habebat hic morbus, quoties in flammam vehementiorem assurgeret, se per ptyalismum exonerandi, eadem prorsus erat, atque in variolis hisce, quoties scilicet *confluebant*. Cum insuper hæc febris eo

præ-

præcipue tempore fæviret, quo latius, quam unquam alias, quantum ego obfervavi, hic locorum graffabantur variolæ, nemini dubium effe poteft, quin ejusmodi omnino fint profapiæ.

a) Sydenham Opera p. 163.

„ Id certo fcio, phœnomena practica omnia, quæ curationem refpiciebant, eadem plane fuiffe in utroque morbo, exceptis iftis, quæ variolarum eruptio, ejusque effecta in ifto morbo indicabant. " Atque ob hanc analogiam, quæ variolas iftas intercurrentes & generalem febrem epidemicam intercefferat, febrem hanc *variolofam* appellabat. Aliud rei exemplum dyfenteria fuppeditat. „ Pariter cum dyffentriæ dicto tempore præcipue fuerint graffatæ, febris, quæ eo anno infeftat, earundem indolem non leviter æmulatur, (nifi quod illæ caufam morbificam per fedes eliminent, & pauca alia exinde nafcantur fymptomata), quod tum a confimili utriusque morbi infultu, tum etiam, quod utroque modo correpti, ahptis, fimilibusque invicem fymptomatis admodum fint obnoxii, fatis evincitur. Et fane dyffentria, de qua agitur, ipfiffima illa febris eft; hoc tantum difcrimine, quod

„ in-

„ introvertatur, & in inteſtina ſe exonerans, „ per eadem viam ſibi faciat. " Ut priorem generalem variolis analogam febrem, *variolosam*, ita hanc, quæ dyſenterico morbo fuerat ſimillima, *dyſſentericam* febrem appellabat.

a) Sydenham p. 45.

Febris hæc, quæ tribus, quatuor, aut etiam pluribus annis ſtationem obtinet, certas quaſi ætates decurrit, ut eam naſci, adoleſcere, conſiſtere, ſeneſcere, tandemque emori recte dicas. Obſcura plerumque ſubnaſcentis ſtationariæ febris initia, oculatiſſimis tantum medicis dignoſcenda, utpote præcedentis febris dominatu nondum penitus exſtincto. At magis evidens altera periodus, augmentum ſcilicet. „ *Atrociora enim ſunt omnia ſymptomata, ubi primum ſe oſtendit conſtitutio generalis.* a) *Epidemici omnes ubi primum e naturæ ſinu emergunt, exiliuntque, quantum ex eorum phænomenis licet conjicere, principio magis ſpirituoſo ac ſubtili videntur inhæreſcere, quam ubi jam magis adoleverint, quoque magis ad occaſum vergunt, eo magis in dies craſſi ac humorales fiunt.* Exemplum ſuppeditant *dyſſenteriæ* ibidem deſcriptæ: omnia univerſim ſymptomata atrociora ſub primo morbi ingreſſu comparebant. Parcæ tunc de-

jectiones, at atrocia tormina, major tenesmus, interea febris, subita virium prostratio &c. Verum non sola symptomatum vehementia de novæ febris stationariæ ingressu nos admonet, sed certum etiam anni tempus præ aliis anni partibus ad detegendam febris stationariæ præsentiam magis opportunum est. *Aestate* nempe atque *Julio* potissimum mense febrem stationariam gravissima sævire *Sydenhamus* b) asserit. Hæc tamen generalis constitutio, ut sensim magis magisque sæviebat, ita quoque cum ad statum pervenit, iisdem gradibus mitescit, tandemque fatiscit. e. g. in constitutione dyssenterica annorum 1669. 72. *quibus gradibus morbus se prominavit, iisdem etiam imminuebantur tormina, dejectiones vero magis stercorosæ erant, donec tandem fatiscente hac epidemica constitutione tormina vix perciperentur; dejectiones stercorosæ magis erant, quam mucosæ.* c) Nova tunc succedit stationaria febris: Epidemicorum alter ab altero pellitur; quod autem non ita intelligas, ac si is, qui pellitur ac cedit morbus, in solidum evanescat, sed rarius solummodo eum invadere. d)

a) Sydenham Opera. p. p. 174. & 181.
b) pag. 191.
c) pag. 182. d) p. 174.

Hæc

Hæc *Sydenhami* de febribus ſtationariis doctrina, præclara quamvis & utiliſſima, neſcio quo fato, noſtris temporibus vix non penitus neglecta habetur. Mirum ergo non eſt, cum obſervationes medicorum longa annorum ſerie (præter Sydenhamianas) inſtitutæ, comparatæque deficiant, nos omnino adhuc latere, quænam ſit harum febrium indoles, quænam illarum genera, quam late regionibus dominentur, & quanam lege ſeſe excipere ſoleant. Attamen hoc certiſſimum eſt, per *Sydenhami* & *Stollii* obſervationes, febris ſtationariæ imperio ſubeſſe omnes febres eadem durante generali conſtitutione ortas. Sic dyſſenteriæ evacuantibus *ανω και κατω*, aut antiphlogiſtica methodo curandæ, prout aut bilis huc illucve turgens, aut inflammatoria diatheſis, aut mixta ex utrisque corporis conditione ſtationariæ febris character fuerit. Idem & de varioloſo miasmate veriſſimum, quod, diverſa generali conſtitutione, diverſam omnino febrem producit. Febres etiam a ſingulari cauſa, e. g. puerperio; excitata, in caſtra *Epidemici* tranſit. Imo & *chronici* morbi febris ſtationariæ vim experiuntur; ſic hydrops difficillime ſanatur regnante conſtitutione pituitoſa; phtyſis eadem & ab eadem cauſa na-

ta, curari aliter debet, si hæc, & aliter si illa vigeat febris stationaria. Idem de hydrope valet. Quam facile stationaria febris morbis etiam alias se jungere soleat, *Illustrissimus van Swieten* a) nos admonuit: „ quando Epidemici morbi grassantur, semper metus est, ne ab aliis causis excitatæ febres in horum classem se recipiant. Testantur fere omnes, qui de peste scripserunt auctores, quod, si grassante peste, alio morbo corriperentur homines, brevi tamen is in pestem degeneraret. b) Idem etiam in aliis morbis Epidemicis observatur quandoque. "

a) Van Swieten Commentar ad §. 728.

b) Dimerbroeck de peste. Cap. 6. p. 10.

De febris stationariæ dictatura adeo luculentis argumentis persuasus erat *Stollius*, ut propositum qualemcunque fere morbum nunquam examinaret, nisi epidemicæ constitutionis genium una contemplaretur, videretque, quousque objecta infirmitas ad Epidemicæ naturam inclinaret. a)

a) Stoll ratio medendi P. II. 69.

Hinc intelligitur, quo modo varie ludat, variosque morbos mentiatur eadem *stationaria febris*; prout variis, iisque evidentioribus symptomatibus, stipatur, variis annis

fre-

frequentius, aut majori etiam difcrimine grassatur, aut etiam, ut mox videbimus, a varia anni crafi aut intenditur aut remittitur. Hinc novam febrium cohortem terris incubuiffe clamitatum fæpius eft, cum novus tantum effet *ejusdem* febris lufus. a)

a) Stoll ratio medendi P. II. p. 88.

Videamus, quonam potiffimum modo in naturam febris ftationariæ inquirendum fit. Oportet autem 1. initio agere fpectatorem, nihilque heroici tentare. Natura tunc, nullo remediorum apparatu in transverfum acta, optime viam monftrabit, qua morbi materies fit expellenda. Hinc ruri, in corporibus robuftis, alienis ftimulis, e. g. venereo, arthritico, rarius infectis, vitæ generi fimpliciori affuetis, ipfæ vires naturæ medicatrices folvendo mores pares funt, & evacuationes criticæ fpontaneæ morbi naturam medicum docebunt. 2, ea omnia fedulo obfervanda funt, quæ ingruente hoc morbo ægris corporibus aut præfidio funt, aut nocumento, ut illico prioribus exhibitis aptam medicinam facias; fic purgantia, aut vomitoria exhibita, fi nocuiffe videmus, ab iis protinus abftinendum, cum natura ipfa monftret, alia methodo morbum effe curandum. Plurimum fane ad per-

fi-

ſiciendum hoc ſtudium conferret frequens noſocomiorum viſitatio, atque medicorum amicitia, quæ, uti fratrum concordia, ſemper erit rariſſima. 3. in determinanda febre ſtationaria plerumque reſpicere oportet febrim quandam ſimplicem, eamque continuam; hanc pro formanda ſtationariæ febris idea accipimus. Quodſi *eodem tempore* quidam ſimul aut pleuritide, aut phrenitide laborant, aut aliam patiantur topicam affectionem, erit hæc plerumque quædam modificatio ſolummodo illius febris continuæ ſtationariæ, atque luſus. Morbi etiam fientes, aliæque affectiones morboſæ, ſæpe ſunt ſatellitium ſtationariæ febris; ſic regnante conſtitutione inflammatoria in obviis etiam catarrhis ad ſynochum imputrem reſpicies, atque ex hac idea feliciter huic catarrho medeberis. Frequentiſſima fuit in Schola clinica *docente Stollio* occaſio, hoc febris ſtationariæ dominium obſervandi, ut neminem putem, qui attentus ægros ibi decumbentes obſervaverit, hujus doctrinæ veritatem in dubium vocare poſſit.

Alia quæſtio eſt, cujus ſolutio nondum habetur, de cauſa nempe febrium ſtationem per plures ſæpe annos obtinentium. Nam conſtitutionem hanc febrium generalem a manife-

festis aëris qualitatibus non produci, exinde patet, quod anni quoad manifestam aëris temperiem siti plane consentientes, dispari admodum morborum agmine infestentur, & vice versa. a) Ita enim se res habet. Variæ sunt nempe annorum *constitutiones*, quæ neque calori, neque frigori, non sicco humidove aëri, ortum suum debent, sed ab occulta potius, & inexplicabili quadam alteratione in ipsis terræ visceribus pendent, unde aër ejusmodi effluviis contaminatur, quæ humana corpora huic aut illi morbo addicunt, determinantque; stante scilicet præfatæ constitutionis prædominio, quæ exacto demum aliquot annorum curriculo facessit, atque alteri locum cedit.

a) *Sydenham* Op. p. 41.

FEBRES ANNUÆ.

Aliud febrium genus, si causas *universales* spectemus, *annuæ febres* constituunt. Repetitæ ab *Hippocrate*, ad nostra usque tempora, observationes, utilissimam hanc in exercenda arte medica doctrinam confirmarunt; a manifestis nempe aëris qualitatibus corpora humana, variis anni partibus, vario affici, atque in hos vel illos morbos procliviores

red-

reddi. Quis enim nescit verno tempore homines pleuritidi maxime obnoxios esse, angusto mense choleram præprimis observari, dyssentriam autumno dominari? ita quoque febrium hac illave anni parte humana corpora infestantium alia atque alia indoles; cujus rei ratio sufficiens in aëre, corpora animalium ambiunte, intrante, compagem solidorum & crasin fluidorum mutante evidenter posita est. Siccam enim & humidam, calidam & frigidam atmosphæræ conditionem, particulas heterogeneas, quibus scatet, ventorum etiam vim, œconomiam animalem mille modis turbare, atque integras morborum catervas in populum educere, vel lippis & tonsoribus notum est. At quanam lege febres hæ annuæ, quæ nempe ab annuarum tempestatum mutationibus oriuntur, se invicem excipiant, longa tantum annorum serie, a medicis in observando attentissimis, potuit observari. Variæ enim hæ anni *crases*, aut eas *Sydenhamus* appellat, variam inducunt corpori diathesin, quæ, data occasione, mox in febrim accenditur; cum ergo diversa sit varii anni tempore diathesis, febres quoque variis his temporibus varias esse oportebit. Egregie explicavit hanc annuarum mutationum in corpora humana pote-

te-

teſtatem *Vir Clariſſimus Hæberl* in egregio libello de *febribus annuis & in ſpecie de febre æſtiva anni* 1783. *in noſocomio SS. Trinitatis vindobonenſi obſervata deſcriptaque. Monachii* 1784. quæ ſane deſcriptio tota, lecta atque perlecta, commentarii adinſtar erit in hanc *Stollii noſtri* de febribus annuis doctrinam. Ea tantum hic decerpam, quæ aphorismis explicandis proxime inſerviunt.

Tres autem ſtatuit Aphorismorum Auctor continuas febres, tanquam ſimplices, ad quas reliquæ febres omnes, quamvis externa ſpecie maxime diſpares, prout major minorve cum illis cardinalibus intercedit ſimilitudo, reduci poſſunt: *inflammatoriam, biliosam, pituitoſam febrim.*

Quævis harum febrium certæ anni parti dominatur. Summa hyeme latiſſime dominatur inflammatio, eoque ſævius, quo rigidior bruma; ad primordia veris usque. Frigore enim denſatis humanis corporibus ſanguis illam diatheſin, quam phlogiſticam appellamus, acquirit, atque varie corpus afficit, prout in hæc vel illa viſcera inflammatio decumbit, vel intra ſolam duntaxat ſanguinis maſſam continetur. Auctis æſtivis caloribus bilis exaltata in ſcenam prodit, febresque bilioſas

ex-

excitat, vehementia, verſatili ſuo ingenio, & diffuſo per omnes mundi plagas imperio, maxime notandas. Intercalari tempore, emorientis autumni inter, & ſummam hyemem, vere inclinante atque æſtate inchoante pituitoſa febris obſervatur, œconomia animali, ſi decurſum hujus febris ſpectes, nullis acribus ſtimulis excitata, at humorum quodam lentore, ac ſolidarum partium inertia, laborante His tribus continus febribus, quartum genus accedit, *intermittentium* ſcilicet; quænam autem harum inter annuas febres ſit dictatura, vel notiſſima oſtendit earum diviſio in *vernales* nempe, & *autumnales*; illarum mitior utplurimum indoles, harum major pertinacia. Diviſum hoc febrium annuarum imperium ipſe *Cous* ſenex obſervaverat. *Hieme pituita, vere ſanguis, æſtate bilis, autumno atra bilis augetur. HIPP. DE NATURA HUMANA.* Id tamen non ita intelligendum eſt, ac ſi febres hæ cardinales non etiam extra ditionem ſuam ſubinde compareant, ut etiam verno tempore dyſſenteria laborantem ægrum, atque fervida æſtate pleuriticum reperias: at de *pluribus* una decumbentibus ægris eam legem valere; obſervationibus comprobatum eſt; qui autem huc atque illuc exleges occurrunt ægri,

gri, a priva potius corporum, quam a generali tempeſtatum conſtitutione dependent. Deinde æquabilis tempeſtatum ſucceſſio ſit oportet; anomala enim illarum ſerie, febrium quoque annuarum ſucceſſio a conſueto ſuo tramite aberrat.

Pro varia tempeſtatum anni viciſſitudine, duratione, intenſione, aut longius durat, aut acrius infeſtat, aut inconſtantior eſt eadem febris annua: hieme frigidiſſima ſæviente, citius inflammatoria febris emergit, atque ita longius protenditur. Subinde intra ſolam diatheſin conſiſtit emerſura febris annua, non niſi errore in ſex rebus naturalibus commiſſio, excitanda. Miro ſæpe ludit ſymptomatum luſu febris annua. Mirifica varietas ſymptomatum ab unica verſipelli bile profecta obſervata eſt in febre æſtiva anni 1777. varias in variis hominibus partes afficientium a): hinc eadem æſtate ophtalmiæ, parotides, ſtrumæ, anginæ, peripneumoniæ, pleuritides, hæmoptöe (quæ hac menſe frequentior, quam aliis fuerat hujus anni temporibus) dolores rheumatici, tumoresque ad carpum & genua; vomitiones item bilis ſpontaneæ, colicæ, diarrhææ, dyſſenteriæ, urinæ difficultates, febres continuæ, remittentes, intermittentes, petechiales &c. & paroxiſmi

mi hyſterici graſſabantur. Una tamen eademque fere methodus uni, atque eidem cauſæ opponebatur, quiscunque fuerat ſymptomatum variantium luſus.

a) Stoll ratio medendi T. II. p. 54.

Sed æque miranda eſt febrium annuarum complicatio cum aliis morbis. Sic vidit *Præceptor* a) in multis ægris, qui per eos menſes, quibus bilis præerat (anno 1777.) aut contuſi, aut ulcerati, aut artubus confractis in noſocomium ſuſcipiebantur, ſanatione juxta artis præcepta optime jam promota, repente febriculam oriri, quæ ſenſim in ipſiſſimam hanc regnantem febrem bilioſam adoleſceret. Medicina mox ipſi febri principi oppoſita, nemo inde graviter mulctabatur.

a) Ibidem p. 221.

Quos lapſus ab alto, aut vis externa læſerat, hi & eo laboraverant affectu, qui illatæ injuriæ debebatur, & paucos poſt dies, vel inflammatione corripiebantur, ſi ea forte tempeſtate inflammationum imperium viguit, vel vero ex febre bilioſa ægrotabant, temporibus huic morbo obnoxiis. Ea commixtio, morborum, addit vir ingenuus, me diutius latuit, conſiliique ſubinde inopem fecit, cum, quæ uno tempore multum profuerunt, alio in-

cassum applicari, atque etiam nocere viderem, in morbo, uti rei inscius tunc arbitrabar, ad amussim eodem. Eadem connubia febris æstivæ cum morbis externis anno 1783. observaverat *cl. Hæberl.* Frequens quoque cum aliis febribus, a domesticis tamen causa ortis, annuarum connubium. Contingit hoc in puerperarum febre. Sequitur ea semper castra *epidemici.* Expertus id erat *Stollius* in *Hungaria* binis æstatibus. a) Etenim quotquot fervidiore hoc anni tempore pepererant, eas febribus corripi biliosissimis vidit, choleris item, & dyssenteriis. Meticulosam initio medicinam fecit, at tarda ægrorum convalescentia, & mille sub ipsa curatione incommodis permotus, neglecto ad puerperæ conditionem respectu, medelam opposuit valentem, & morbo principi bilioso parem.

a) P. II. p. 70.

Non autem, mox ubi emergit febris annua, plurimos homines, eosque acriter infestat; sed sensim obrepit, cum adhuc cum præcedente, atque jamjam emoriente annua febre permixta sit. Hinc hybridum febrium genus inter initia exitusque annuarum febrium. Sic adproximante vere pituitosæ febres admixta phlogosi, autumno autem adulto bilis

pi-

pituita tenacior facta conſtitutionem atrabilariam generat, qualem priori anno in ſchola clinica obſervavimus. Quamlibet harum febrium propria ſequuntur, ut effectus ſuam cauſam, ſymptomata. Regnante inflammatoria conſtitutione, aut fauces, aut pulmones, aut hepar, aliæve partes afficiuntur, unde in variis hominibus anginæ, aut peripneumoniæ, aut hepatitides originem ducunt; & diverſarum harum affectionum eadem origo, cura eadem, antiphlogiſtica nempe. Sub eodem inflammatoriæ febris dominio diarrhææ non raro obſervantur, quas ſola venæ ſectio compeſcit.

Regnante eadem febre annua, multa, eaque diverſa ad ſpeciem apparent ſymptomata. Nam in variis ægris, qui epidemica ægritudine tenentur, aut caput, aut thoracis, aut abdominis viſcera, vario modo afficiuntur, ut tot eſſe morbos diverſos exiſtimes, quot adſunt diverſa ſymptomata. At *ſubalternæ* hæ ſunt *ægritudines*, febri principi præludunt; eam ſequuntur, illaque decedente pariter decedunt. Vix evidentius aphoriſmi hujus (44) veritas demonſtratur, quam ubi febris bilioſa latiſſime dominatur. Quanta enim ſymptomatum varietas febris æſtivæ anni 1777. a) a

Stol-

Stollio graphice deſcriptæ! Non minus varios adfectionum luſus Cl. *Hæberl* b) in febre æſtiva 1782. obſervavit: ferociſſima deliria, lippitudines, tubercula ad aures; dentium dolores, ſtrumæ, anginæ, peripneumoniæ ac pleuritidas, ſanguinis profluvia ex naribus, pulmonibus, utero crebra; vomitus aſſidui, bilioſi, enormes, in conſuetudinem verſi; alvi profluvia, choleræ, dyſſentriæ; urinarum difficultates; febris intermittentis generis, tertianæ exquiſitæ ac duplicatæ; febres continuæ, ardentes, efflorefcentiis ſtipatæ, miliares, petechiales, ſcartatinoſæ, bilioſo putridæ, putrido malignæ ex eodem *ſcaturigine billoſa* promanabant.

a) Katio medendi. p. II. p. 34.
b) Hæberl p. 17.

Sed aliæ etiam obſervantur ægritudines, quæ febris per ſe expertes, regnante attamen febre annua, ab hac febris conſtitutione reguntur, ſeu illarum adfectionum frequentiam, ſeu medendi methodum ſpectes. Utiliſſimum certe ſtudium, cujusvis febris epidemicæ *Satellitium* noſſe, ut apta tam diverſis morbis fiat medicina. Obſervantur apoplexiæ epidemicæ, cum alii ægri ex febre pituitoſa decumbunt. Sic menſe Aprili 1778. regnante febre

bre inflammatorio biliosa, inter fœminas hæmorhagiæ uterinæ crebriores, frequentes quoque abortus. Catameniorum enim fluxus non intra paucos, ut ante solebat, dies continebatur, sed eosdem excessit in plures usque septimanas. *Gravidis* vero eo ipso tempore, quo menstrua redire, antequam uterum gestarent, consueverunt, inter motus febriles, & pariendi conatus, sanguis prorupit, cum fœtus tenelli jactura. a) Anno 1779. mense Martio, phlogosi dominante, compluribus *Gravidis* abortus instabat, mense quarto aut septimo, dolores parientium, febris. Venæ sectio, emulsa nitrosa, quies. b) Phthyses hiberno tempore inflammatoriæ meracæ sunt, & methodum antiphlogisticam mitiorem requirunt; parvis & repetitis venæ sectionibus, & remediis antiphlogisticis, nitrosis, unice levantur, & a sic depravatis specificis injurias accipiunt. Aestate autem eadem levantur ab antiphlogisticis, interpolatis levibus alvi ductionibus, atque ita passim levantur, ut si quando vera phthysis aliquamdiu progressa curationis spem faceret, eam æstate faceret. Visa certe mense Julio in nosocomio, in juvene puerpera, phthysis vera, quæ altas jam radices egerat, hac autem

no-

medendi ratione ita emendata eſt, ut aliqua medentem ſpe de ſalute ſua lactare potuiſſet, ni mulier moræ pertæſa ex noſocomio abiiſſet, a febre hectica nondum immunis. c) Hydropem quoque χρονικωτατον malum aliquot per annum exemplis cum febre tempeſtatis conjunctum vidimus. Hyeme hydropicus in noſocomio decubuit, febre inflammatoria ſimul detentus, & plures per æſtatem hydropicas habuimus, quæ febre ſimul bilioſa decubuere. Epilepſiæ quoque per æſtatem exempla occurrebant, æſtiva febre comite, qua perſanata, etiam morbus caducus ſiluit.

a) Stoll ratio medendi V. III. p. 45.
b) Ibidem p. 106.
c) Hæberl p. 37.

Hinc certe lex intelligitur: *eidem ad ſpeciem morbo, ſub differenti febris annuæ dominio, non eundem medicinam faciendam eſſe*; atque etiam, quo ſenſu accipiendum ſit monitum (835): *eadem ſymptomata morbi non omnino idem ſignificant, ſi non ſit, eadem conſtitutio temporis*: cum eadem febris annua cardinalis, diverſis annis, ad externam ſpeciem diverſa appareret, contingit, ut hæc febris pro eminentiori quodam ſymptomate nomen

fuerit ſortita, atque ſub febris pleuriticæ, varioloſæ, dyſentericæ &c. deſcriptione, apud auctores occurrat. At ex dictis hucusque patet, notionem directricem non tam ex ſymptomate prævalente, quam ex annuæ febris natura cum ſtationaria collata, deſumi debere.

Sed neque ex ſolius ſtationariæ febris ratione, ſed ex perpenſa ſimul annuæ febris indole deſumendam eſſe notionem practicam, contendit Auctor: cum eadem licet ſtationaria, diverſis anni partibus, diverſa annua, diverſimode alteretur. Notavit *Sydenhamus* a) eſſe particulares quasdam anni *craſes*, quibus febres ſtationariæ aut promoventur, aut retardantur. Egregie hoc febris ſtationariæ cum annua connubium illuſtrat Cl. Hæberl b): quo tempore annua febris ſtationem obtinet, vel ea ſola occurrit, & in omnes alios morbos ϛυγχονϛ dominatur, vel alia ſimul, quæ ſtationaria eſt, graſſatur. Quod ſi fit, hybridum ut plurimum febrium genus occurrit ex annua & ſtationaria conflatum, ita tamen, ut una præ altera luculentior ſit. Efficitur ex his omnibus jam id, quo rectius in cognoſcendis & curandis morbis verſemur: ſymptomata quidem in toto ægro, ut adæquata emergat morbi hiſtoria, ſollicite eſſe

con-

conquirenda: maxime vero ad anni tempestatem, & epidemiam regnantem, tanquam ad varidicentissimum oraculum consultandum esse, ex hisce binis demum practicam morbi cognitionem exurgere, rectamque medendi rationem innotescere; & si alterutro carendum esset, illo potius, quam hoc adminiculo nos carere posse. c) Quanta huic epidemicarum constitutionum doctrinæ incrementa accederent ex continuatis in magno nosocomio observationibus, ipse *Stollius* exposuit. d)

a) Sydenham Op. p. 41.

b) l. c. p. 31.

c) l. c. 30.

d) Uiber die Einrichtung öffentlicher Krankenhäuser.

Conjecturam proponit Auctor (aph. 50.) de imperii, quod febres stationariæ exercent, originibus, easque a protensa annuarum febrium dictatura deducit. Contingit nonnunquam, ait Cl. Hæberl, a) ut tempestatis ratio, quæ uni constitutioni propria est, protrahatur in proximam stationem, vel ultra quoque, ut similis fere per totum annum tempestas obtineat. Quod si annua febris quoque, quæ illi constitutioni respondet, finibus

 suis

ſuis egreſſa reliquas conſtitutiones vel elidet, vel quodamodo ſaltem ſubigit, ut ipſa earum loco dominari videatur, toto tum anno unica febris, quæ certa alia anni parte regnare viſa eſt; ſin minus ſola, at præcipua tamen imperitat, febrisque ſtationariæ dignitatem conſequitur.

a) l. c. p. 30.

Sic febris inflammatoria per totum annum ſtationem habet, ſi quando acris hyems fuerit in ver pariter frigidum excurrens, ſubſecuta æſtate frigidiuſcula potius, quam calida, autumno aquilonio totum circuitum claudente.

Si tempeſtas humida in æqualioribus vel auſtrinis, qualis verno & autumnali tempore vigere ſolet, per hyemem mollem ac ſquallidam continuatur, tunc toto anno humor dominabitur, per totumque annum pituitoſæ febris imperium extendetur, & ſi per plures annos hic atmoſpheræ ſtatus perennat, per plures quoque annos eandem ſtationem occupabit.

Bilis ſtationarie dominatur, ſi tempeſtas quæ æſtatem inſignit, per reliqua quoque anni tempora procurrit. Quodſi enim fervida æſtas fuerit, per quum toto autumno incau-

duit,

duit, intermedia hyeme, ac vere, mollibus tepidisque potius, quam frigidis, cum proximi anni æftate conjungitur, tunc æftiva febris protracta per integrum circuitum folarem ftatione in populum graffabitur.

Hanc febris biliofæ annuæ ad ftationariæ febris dignitatem promotæ ipfe Auctor (aph. 351.) pronunciavit: *fæpe æftatis terminos excedit, porrigiturque per ferum autumnum, atque hyemem, fortaffe molliorem: verno autem tempore nondum plane emortua revivifcit, ac proxima æftate dominatur refumtis viribus: tum ex annua fit ftationaria.*

Annua ergo atque ftationaria febris fimul medico febris curandæ indicationes fuppeditant. Sola enim ftationaria a ficca, humidave, frigida aut calida tempeftatum mutatione variis etiam modis mutatur, atque eam indolem nancifcitur, ut novæ accedant agendorum rationes. Exemplum ftationariæ febris, quæ talem ab annua crafi mutationem patiebatur, Cl. *Hæberl* adducit. a) „ Pulchre id elapfa hyeme adparuit, qua genuina multa ac rheumatica inflammatio cum ftationaria putrida febre dominabatur: fimplex ex meraca raro tum putrida febris fuit, fed cum vitio inflamma-

to-

torio, iniquiſſimo connubio, utplurimum junCta inceſſit. Phlogiſtica labes jam tum utplurimum in ægris deprehendebatur, qui ad curandum nobis offerebantur, ut talium morborum curatio a remediis antiphlogiſticis ordienda fuerit, neglecta penitus putrida febre, & ſero tandem tonica remedia in uſum vocari potuerint. Fuit nonnunquam, ubi & in noſocomio, ſub uſu remediorum antiſepticorum, inflammatio clanculum ſubrepſit: ut in progreſſu curationis remedia antiputredinoſa ſeponi, iisque antiphlogiſtica ſubſtitui debuerint, eaque vel meraca, vel cum tonicis remixta. Diſci ex cadaverum ſectione potuit, quam facile inflammatorium, inflammatorio tempore vitium cum ſynocho putri jungatur, quamque religioſe circumſpiciendum ſit in antiſepticorum, tonicorum, & ſtimulantium delectu, ne temere noceas, dum prodeſſe velis. Menſe Februario & Martio, ubi phlogoſis vix non ſatisſcebat, putridæ febres occurſabant plurimæ, ſed ſimpliciores, quam antea: cum vero progreſſo vere ſanguis iterum inſurrexiſſet, unaque putror late dominaretur, idem illud fatale connubium frequentiſſime iterum viſum eſt. Ipſi peruviano cortici ea tempeſtate diffidere cœpit cl. *Stoll*, quum ejus de-

decocto, verens, ne inde tempore tam phlogiſtico inflammationes invitarentur, aliam medicinam antiſepticam inſtitueret, emulſionem nempe camphoratam, *Baldingero* mirifice laudatam.

a) p. 31.

Habet autem hæc de febribus annuis doctrina præter eam in eruenda directrice morbi notione utilitatem, quam nunc expoſui, alias etiam opportunitates, a medico haud contemnendas.

Sæpe enim, quod præcipue conſtitutione, quæ nunc dominabatur, in alteram ſenſim vergente contingit, ad ægrum vocaris, in quo, acuratiſſimo etiam inito examine, difficulter ſtatuas, ex qua febris ſpecie laboret, an hæc ad inflammatoriam, an ad biliofam, pituitoſamve febrem, an ad mixtum ex his genus pertineat: ita enim vaga ſunt ſymptomata, quæ occurrunt, & omnis morbus ferme intra generaliora febris ſymptomata, aut etiam febrilem intra diſpoſitionem conſiſtit. Haud ex alio tunc fonte indicationem derives, quam ex cognito *epidemici* genio: & ſane unius aut alter dies te docebunt, veram te medendi rationem tetigiſſe. Imbecillitas enim quam æger aut medicus tempore phlogi-

giſtico inchoante, ſimplicem catarrhum putabat, in gravem cito peripneumoniam inſurgit.

Deinde ipſa ægrorum conditio medici nonnunquam examini obeſt: nam æger aut mente motus coram eſt, aut benignitate naturæ, vel ex vi morbi ſtupidiſſimus, aut ineptus blatterator, ut etiam per horas interrogando hominem, nil ex illo reſcias, quod ad diagnoſin formandam faciat. Annuæ tunc febris cognitio optime docet, qua methodo fienti, aut ex ægri relatione nondum adhuc determinando morbo, obviam eas. Perſpexit hanc methodi medendi, pro varia anni tempeſtate, diverſitatem, celeberrimus Huxham a); Morbi ſane, vel generis ejusdem, largiorem longe poſcunt ſanguinis detractionem, eamque multo facilius ferunt ægroti, dum ſiccum adeſt cœlum, & elata perſtat *barometri* ſtatio, quam dum æſtuoſa aëris humiditas vim fere vaſorum reſolvit, Hoc utique perpetuum eſt, vel in ipſis pectoris morbis. Hinc dictitabat *venerandus præceptor*, ſe male ægrum curare cognita anni tempeſtate, & morbo regnante, licet æger ne hilum de valetudine ſua narrare ſciat, quam talem, qui appoſitiſſime omnia de morbo ſuo referre no-

norit, si epidemiæ regnantis cognitione exciderit.

a) Huxhami Opera T. I. p. 23.

Magnam denique utilitatem cognitio epidemicæ constitutionis medico offert, qui se aliosque adversus eam tueri voluerit. Præclare ait *Hæberl*: a) Adcurata epidemicarum cognitio non solum in morbis cognoscendis curandisque medentem, ut acus magnetica, nautas dirigit, sed & præcepta saniora suppeditat, quibus tempestatis temporisque morbum efficacissime averruncare possis. *Communissima*, eaque omnium tutissima prophylaxeos regula, quæ in omni, quacunque epidemia, princeps est, ea est, ut Προκαταρξεις, seu occasio ad morbum, religiose vitetur: id est, omnis quicunque notabilis in sex rebus non naturalibus excessus; animum proinde a sævis turbis religiose contineas; cruditatem primarum viarum præcipue vites, vites nimiam esculentorum potulentorumque ingurgitationem; caveas vero, ne nimium in diæta tua religiosus sis, ne valetudinem; quam nimiam colis, vel inde alteras, atritamque epidemico hosti offerras: noli aliquid insoliti metu morbi agere; cave hinc etiam atque etiam a remediis pharmaceuticis sanus, a purgantio-

ri-

ribus, emeticis, cardiacis, ſudoriferis &c. ne dum averruncare morbum ſtudeas, eum invites, dum epidemicæ diſpoſitioni occaſionalem cauſam imprudenter ſubſideris. Quo ſemper cum ſanitate eras uſus vitæ regimine, eo nil metuens uti perge. Hæc optima in univerſum prophylaxeos præcepta. Particulariora hæc ferme ſunt: regente bruma, ac primo vere, moderato calore cubiculi, idoneo veſtitu, diæta humectante, diluente, tenuiori tepida; in iis, qui ad inflammationes præcipue proclives ſunt, ut omni hyeme inflammatorium morbum patiantur, conſulto tamen medico, venæ ſectiones prophylacticæ, ſi alibi usquam, celebrari poterunt. Quo tempore humor atmospheræ dominatur, cardiaco victu cum emolumento uti poteris; corpus imprimis renovatis ac ſiccis veſtibus probe muniendum, ne perſpiratio inhibeatur, aucta reſorptione, quo facto corpus inerti pituita obruatur neceſſum eſt; exulet tepida muliercularum ſorbitio. Æſtate ſedulo caveto ne calore corpus perutatur, ne ſudore nimium diffluas; cave præcipue, ne ſudorem ſubito rejicias, refrigerato derepente corpore; non temere hinc, ſi ab exercitio corporis incalueris, veſtes abjicies, ac umbras pe-

tes;

tes; rorante nocte ſub humido die minus bene tecto corpore non verſabere, probe hoc præcipue tempore memor Sydenhamiani effati, qui incauto veſtitu, admiſſo intempeſtive corpori frigore, plures, quam *peſte* ac *gladio* & *fame* ſimul omnibus, periiſſe pronuntiavit.

a) p. 41.

FEBRIS INFLAMMATORIA.
SYNONIMIA.

Synonimia occurrit multorum vocabulorum eandem febrim deſignantium, quam hic oportet explicare.

1. *Hippocrates* febres deſcribit, quas ex anni tempore, decurſu, medela, ſcimus huc eſſe referendas, quin peculiare illis nomen tribuat.
2. *Galenus Synochum imputrem* apellavit. *De differentiis febrium. Libr. 2. cap.* 12.
3. *Hoffmanni* ſynocha ſimplex. Med. ration. ſyſtematica. T. II, l. 3. cap. 1.
4. *Continua non putris Boerhavii.* Sub eadem compellatione deſcripta legitur *ab illuſtriſſimo Swietenio* T. II. p. 17. T III. p. 124. Edit. Lugd.

6.

6. *Huxhamo* est *febris inflammatorio simplex. Huxham* oper. Edit. Reichel. T. II. p. 15.
7. Uti & *Tissoto*: *avis au peuple.*
8. Et *Grantio.* Beobachtungen über die Natur und Heilung der Fieber. Leibz. 1785. p. 110.
9. Aliis est, latino nomine *continens imputris.*

PRODROMI FEBRIUM IN GENERE.

Etsi proprium ferme sit inflammatoriis febribus, ut homines in summa sanitate constitutos subito adoriantur, nullaque habeant, quæ de morbo ingruente illos admoneant, præcursoria symptomata; alias omnes febres quædam notæ solent antecedere, quarum omnium commune est, ut ait *Celsus* a), aliter se corpus habere, atque consuevit; neque in pejus tantum, sed etiam in melius.

a) Celsus L. II. p. 2.

Sunt autem *prodomi* febrium, ut *Schroederus* definit, cujus summa habentur in universam de febribus doctrinam merita, a) affectiones cujuscunque generis, initium febris præcedentes, atque hanc futuram aliqua cum

pro-

probabilitate declarantes. Ut ipſa autem febris manifeſtius & minus interrupto molimine in coquenda morbi materie occupatæ naturæ effectus eſſe videtur; ſic illi prodromi *plerumque* optimæ hujus medicatricis primos quaſi conatus ſiſtunt, quibus ad ſuum ſe parat negotium, ſenſimque noxias materies ipſam ad excitandam febrim efficaciores reddit. Aliam autem horum *partem* ex renixu cruditatis præponderanti melius derivaveris; *iterumque aliam* habendam hactenus exiſtimamus pro dubiæ originis qualitatibus ab integra valetudine alienis, atque unice fere ſecundum experientiæ accuratioris dictamina febrim prænunciantibus.

a) *Schroeder opuſcula medica. Curanto Cl. ACKERMANN.* Norimberg 1778. Volum. I. Diſſ. de frequentioribus febrium prodromis. p. 14.

Videamus generalia, & frequentiora, quæ febres ſolent præcurrere ſymptomata. Minor agilitas corporis, mentisque moroſitas; ponderis ſenſus; laſſitudo ſpontanea, in animi pathemata major proclivitas, iram, triſtitiam &c. frigoris major impatientia; ſudatiunculæ; ſomnus turbatus; major a ſomno debilitas, præcordia inflata; minor appetitus, & guſtus exigua depravatio; vix tamen vi-

tium

tium, nisi per vices, in pulsu; homo adhuc obambulat.

Quo diutius durant hæc signa ante febrim, eo futura febris erit difficilior. Quidam per septimanas, quin & menses febrim ita præsentiunt. In febribus putridis, atque gastricis id frequentissime observatur. *Non enim celeriter morbi hominibus eveniunt, sed ex minimo collecti, simul apparent.* a)

a) Hippocrates de diæta. 1. 3.

Nonnunquam, quin imo sæpissime hi *prodromi* febrium evanescunt, quin morbus in actum erumpat. Sæpius præscinditur, & in herba suffocatur morbus, si modo apta medicina mox in principio adhibeatur. At hic dupliciter erratur, vel nihil agendo, laboresque suos continuando, vel vero intempestive & nimium medicando. Quies, tenuior diæta, & regulæ generales therapeuticæ sufficiunt. Probe quoque medebis his morbis *fientibus*, si regnantem morbum jam noveris, & ex ejus idea subnascenti infirmitati medearis.

Egregia certe veterum medicorum in prophylactica medicinæ parte præcepta habemus. Horum collectionem nobis *Joh. Ernest. Herbenstreitius* a) dedit, in præclaro libro

quem

quem *Palæologiam Therapiæ* inſcripſit. Vir celeberrimus *Gruner*, cui debemus operis hujus, quod membratim prodierat, in unum volumen redactam editionem, de hac ipſa prophylactica veterum doctrina effatur præclare: „ Ex his patet, quousque proceſſerint boni veteres. Quid enim iſtis placitis vel additum, vel demtum ſit recentiorum diligentia, equidem prorſus non video: id vero perlubenter profiteor, hac via ſe oſtendiſſe viros magnos, & artis ſuæ gnaros, quia experientia magiſtra & teſte, is bonus demum medicus eſt, qui morbos futuros ac imminentes dudum prævidet, antequam incidunt, & præſidia adfert. Qua de re quaſi parentem, ac præſidem venerati ſunt divinum Hippocratem omnes omnium ſæculorum prudentiores medici, neque unquam eos imitationis pœnituit. “

a) *Herbenſtreit Palæologia therapiæ, qua veterum de morbis curandis placita potiora recentiorum ſententiis æquantur. Accedit ejusdem ordo morborum cauſalis. Nunc primum juncta edidit, præfationem, vitam auctoris, notulas qualescunque, indicemque rerum adjecit. D. Chriſt. Godof. Gruner Halæ* 1778, *gr.* 8. *apud Gebauer.*

Inf-

Sufficit, hæc generatim de ſignis morborum prænuntiis monuiſſe; de ſingulis enim, ſingularum febrium cardinalium prodromis, tunc optima erit dicendi occaſio, cum ad explanandam illarum doctrinam perventum fuerit. Quod autem inflammatoriæ febres, ut ſupra dictum eſt, repente homines plerumque corripiant, mirum haud videtur, cum corpora ſaniſſima ſoleant afficere: *qui ad ſummum iverunt boni habitus, difficiles, ſi in extremo fuerint: nam nequeunt manere in eodem.* a) Deinde non raro etiam inflammatoriis febribus ſymptomata quædam præcurrunt, etſi ea aut leviora ſint, aut ab hominibus robuſtis, rerumque ſuarum minus curioſis, obſcurius percipiantur. Nam & hi morbi, inflammatorii nempe, quædam ſubinde per aliquot dies prænuntiata ſigna habent: e. g. inſolita at levior laſſitudo, quietis amor, capitis dolor; a motu corporis præter conſuetudinem fatigantur, atque capitis dolorem ſentiunt, iterum a quiete miteſcentem; non nihil habetatam a certo temporis ſpatio ſentiunt ingenii vim, vel difficultatem in mentis virium contentione; moleſtus quidam in membris, in capite, & in pectore æſtus ex ingeſtis virtutis calefacientis, magisque nutrientis, vino, aromatibus, animali victu,

ctu, sine omni plane incommodo alio tempore assumptis; noctes minus tranquillæ, inquietior & insomniis perturbatior, minusque reficiens somnus. Ceterum in hos quoque præsertim, licet non solos, cadit observatio *Celsi,* b) *si plenior aliquis, & speciosior, & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet.* Id denique his addit *Schroederus* c): „ natum a breviori tempore amœniorum hunc genarum ruborem, plenioremque paulo faciem sine manifesta causa, inter alia febris hujusmodi præludia deprehendere, atque inter effecta orgasmi, naturæ modum non nihil excedentis, referre licet. "

a) Hipp. aph. sect. 1. 3.
b) Celsus l. 11. c. 2.
c) Schroeder l. c. p. 39.

SYMPTOMATA FEBRIS INFLAMMATORIÆ.

Inter symptomata, quæ auctor §. 62. recenset, aliqua, cum peculiare quid habeant, quod medicum in medendo aut seducere, aut saltem terrere possit, præ ceteris notanda sunt. Atque omnium primo frigus occurrit, quod tam valide nonnunquam membra quatit, ut

H ho-

hominem intermittentis febris paroxysmum, non inflammatoria febre correptum existimes. Calor etiam, qui mox frigus insequitur, differt ab illo calore, qui in febribus putridis solet observari; non enim manum tangentis medici mordet, sed, si diutius manum admoveas, mitior sensim apparet.

Pulsuum etiam fallacia esse solet. Neque enim semper plenus, durus, fortis acceleratus pulsus, qualis plerumque est, at mollis, potius, & debilis observatur. Sed adparens duntaxat hæc debilitas est, tunc maxime, dum cordis atque arteriarum vires a sanguinis aut abundantia, aut inflammatoria densitate opprimuntur.

Solemne est, pueros atque infantes inflammatoria febre correptos, variis simul spasmorum generibus affici. Verum etiam adultiores, quibus exquisitior est nervorum sensus, atque major fibræ muscularis irritabilitas, varia sæpe symptomata exhibent, quæ a perturbato systemate nervoso, & ab aucta irritabilitate pendent, neque cessant, nisi ablato stimulo, sanguinis nempe phlogistica labe. Vidimus ante duos annos in medicinæ studioso, qui synocho imputri laborabat, ferocissimum delirium ab excessu irritabilitatis ortum, atque me-

methodo antiphlogiſtica ſanatum. a) Pertinent hæc ſymptomata ad *ſtatum nervoſum*, de quo ex inſtituto auctor agit, ubi de methodo febrium indirecta ſermo eſt: §. 708.

a) In mea ſylloge obſervationum.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES. CHLOROSIS HÆMOPTOE. HYDROPS INFLAM.

Febris hæc continua inflammatoria ab hyberno frigore, ſicco præſertim producitur. Loca editiora præ ceteris infeſtantur, ita, ut monticulæ ſincera ſæpe inflammatione corripiantur, cum eodem tempore in vallibus confinibus febres mixtæ indolis obſerventur. Borealia præſertim loca inflammationibus obnoxia ſunt; ventorum enim frigidorum ſiccorum ſatis potentes in corpus humanum effectus in eo conſiſtunt, ut ejus totum externum habitum conſtringant, cutim magis exſiccent, & corrigent, porros occludant, & perſpirationem imminuant, vel ad minimum tantum permittant, ut pars vaporum evaporet tenuior. Itaque frigore ſicco totum fibrarum ſyſtema magis firmum, forte & elaſticum, & vis vaſorum contenta fluida propellendi magis redditur robuſta, unde circulatio vividior, æſtus

major, ſpiritus & agilitas, quibus tota humorum maſſa ad majoris tenacitatis gradum efficitur proclivior. Quibus addi poteſt, aërem frigidum ſiccum, qui ſemper fere gravior, & magis elaſticus eſt, majori preſſione in corpus humanum cum ejus frigida & ſicca qualitate in progignendis majoribus effectibus cooperari. Sanguinem ceteris paribus, duranti tali atmoſpheræ conſtitutione denſiorem, & viſcidiorem, quam diuturniore humida calidaque tempeſtate occurrere, facta probant. a)

a) Huxham Op. T. II. p. 156.

In noſtris terris febris hæc cardinalis circa finem Decembris plerumque caput extollit.

Juvenes, atque viri in ætatis vigore conſtituti, laboribus duris aſſueti phlogiſticam ſanguinis labem citius contrahunt; eo magis, ſi potum ſpirituoſorum, & victus animalis abuſus accedat. Singularis enim gravidarum in febrem inflammatoriam proclivitas obſervatur, atque ſanguis illarum plerumque cruſta plogiſtica tectus eſt.

Verum tenera etiam infantum atque puerorum ætas haud immunis eſt ab inflammatoriis febribus; atque Viennæ fortaſſe frequentius, quam in aliis urbibus, inflammatorii infan-

ſantum morbi obſervantur. Forte id ab acriori, atque minus ſincera, ſed ex aliis ſtimulis compoſita inflammatione pendet?

Deinde alia quoque dantur ægritudinum genera, quæ, utut ab inflammatione videantur maxime remota, ſi habitum ægri externum, atque cauſarum frequentiam reſpicias, tamen non raro veram inflammationem ſibi junctam habent.

Huc pertinet primo *Chloroſis* inflammatoria, quam in puellis ruſticanis, plethoricis, ante prima menſium profluvia, ſæpius obſervaverat *Stollius*; Atque etiam in urbe in puellis opipare educatis, ceterum ſaniſſimis, non raro occurrit. Febrim ejusmodi continuam obſervavit *Stollius* anno 1778. inter fœminas, a) „ Hæc febris ſtimulos nullos tulit, niſi ſubinde, & ſerius, & blandos. "

a) Stoll ratio medendi T. III.

Alius morbus, qui diatheſin inflammatoriam ſibi junctam habet, *phthyſis* eſt; cujus morbi doctrina in peculiari hujus libri capite proponitur. Id ſolum hic adnotare mihi liceat, ſummam in curanda phtyhſi utilitatem ab antiphlogiſtica duntaxat methodo haberi. Venæ ſectiones parvæ, at ſæpius repetitæ; potus emolilens, tepidus; ſumma animi atque

cor-

corporis quies; vegetabilis victus, remedia erant præcipua, quibus plurimos ægros, *inchoante* præcipue phthysi laborantes, servavit *Stollius*.

Hydrops denique, quod mirum videri possit, vere inflammatorius observatur. De hac hydropis specie ipse *Stollius* ait a) „ causas habet aliis hydropis speciebus ferme oppositas, plethoram nempe, & laboriosum abundantium humorum, ceteroquin bonorum circuitum. Inde vasa sanguifera, cruore nimis distenta, aquosam portionem facillime dimiserunt, extruseruntque, sed ita demissam difficulter receperunt. Hinc aquæ intra cellulosum corpus, aut cava varia collectæ, hydropis eam speciem fecerunt, quam *plethoricam* appellamus. Hydropis hujus genesin ipse mihi exemplo quodam illustrare conabor. Quemadmodum enim ultimo graviditatis tempore venarum iliacarum compressio abundantiam humorum in artubus inferioribus contentorum, sive topicam plethoram, indeque crurum, femorum, & pudendorum facit hydropem; sic plethoricis columna cruoris major, quam quæ apte contineri vasis possit, & expedite ad cor reduci, hydropem gignit. Hic morbus in corpora solum robusta & bene pa-

pasta, juxta nostras observationes, cadit. Atque ex hac corporum, ætatis, & vitæ ratione, item ex defectu causarum illarum, quæ alias producere hydropis species solent, huic nostræ plethoricæ oppositas, hydropis hujus indoles, cum eaque conveniens medendi methodus nobis innotuit. "

a) Stoll ratio medendi T. III. p. 301.

Multum similitudinis intercedit hunc morbum inter, & chlorosim illam inflammatoriam, cujus antea mentio facta est. Atque ipse *Stollius* hanc chloroseos speciem ad *hydropem plethoricum* refert. a) „ Huic hydropis speciei præprimis obnoxiæ sunt puellæ rusticanæ, quibus antea bene sanis menstrua ceperunt supprimi, ob perfrigerationem forte admissam, terroremque, diætæ errores. Inde plethora nascitur, & chloroseos species, quam *calidam febrilem* appellant, seu febrim albam. "

a) Stoll prælect. in diversos morbos chronicos p. 76.

In utroque hoc morbo remedia pleraque aliis chloroseos & hydropis speciebus apprime dicata, nocuerunt. Profuerunt autem phlebotomiæ moderatæ, sed aliquoties repetitæ, & antiphlogisticus victus: decocta item emollien-

lientia, nitrosa, acidula, serum lactis cum terra foliata tartari.

Exempla hydropis inflammatorii attulit ipse *Stollius* a) Et *celeber. Medicus* b) Similis etiam observatio habetur in diariis Swietenianis. c)

a) Stoll ratio medendi T. III. p. 503.

b) Medicus. Sammlung von Beobachtungen. Zürich 1766. L. 2. S. 578.

c) Van Swieten Constitutiones Epidemicæ. 1782.

FEBRIS EPHEMERA.

Uno tenore pergit hæc febris, & intra quatuordecim dies plerumque terminatur. Species simplicissima synochi imputris *ephemera* febris est, quæ spatio 24 horarum totum suum decursum absolvit. Oriuntur ejusmodi brevis ævi febres ab evidenti quodam vitio in sex rerum non naturalium usu commisso: e. g. a majori copia cibi ingæsti, vel etiam, si difficilioris digestionis fuerit, in debilioribus præcipue hominibus. Post crapulam, ebrietatem, labores nimios, animi validos affectos &c. frequentissime simplicissima hæc febris nascitur, in qua nihil fere culpari potest, præter solum motum vehemen-

tio-

tiorem, in corpore antea ſano, ab evidentibus talibus cauſis procatarcticis excitatum. Inter febris ephemeræ indicia cauſæ levitas quoque recenſetur; quamvis enim a vitio evidenti ſex rerum non naturalium hæc febris ſoleat naſci, tamen, ſi gravior error in his commiſſus fuerit, longe periculoſior & diuturnior febris inde ſequi poterit. Corpus etiam, ſi febris continua intra ephemeræ terminos conſiſtat, antea purum eſſe oportet; ſi enim corpus cacochymicum fuerit, a levi etiam vitio rerum non naturalium excitata febris, quæ in corpore ſano & puro brevi deferbuiſſet, diutius protrahetur, imo & quandoque periculoſa evadet; dum e. g. atrabilarii humores, ſcorbuti acris materies, lenta glutinoſa in leucoplegmaticis collecta & fere ſtagnantia per febrim natam agitantur, patet ſatis, ab his per febrim motis plura mala fieri poſſe. Cum autem ephemera levibus tantum cauſis originem debeat, non poterit ab his corpus ſic mutatum eſſe, ut inſignes functionum læſiones inde fiant; ſimul ac ergo in functionibus vitalibus, animalibus, aut naturalibus inſignes læſiones occurrunt, vel in excretis de corpore, urinis, fœcibus alvinis &c. magnæ mutationes obſervantur, novimus febrim

brim his comitem non poſſe eſſe *ephemeram*, cum a levi tali morbo nec numeroſa, nec gravia ſymptomata produci poſſunt. Citam quoque hæc febris criſin habet; plerumrumque enim, dum in hoc deſcenſu eſt, blando ſudore finitur, imprimis ſi a retento perſpirabili, quod ſæpe fit, ortum traxerit. Lenis vomitus, vel alvi modica evacuatio, toties huic febrim finem imponit, dum ab ingeſtis cibis difficillimæ digeſtionis, vel ſola copia gravantibus, ortum duxit. Pulſu mox a febris exitu plane reſtituto ab intermittentium febrium paroxysmo diſtingui poterit *ephemera*. Plerumque enim pulſus debilitas aliqua poſt finitos intermittentium febrium paroxysmos ſupereſt; imo ſæpe, licet ſudore jam ceſſante, ægri de lecto ſurrexerint, adhuc parum celerior pulſus deprehenditur. Raro etiam ſymptomata, quæ febres intermittentes comitantur, ut laſſitudo, capitis & lumborum dolor, adeo integre abolentur, ut poſt abſolutam Ephemeram fit. Confirmatur hæc diagnoſis, ſi illo tempore intermittentes febres non graſſentur; tunc enim minor redituri paroxysmi ſuſpicio eſt. Interim tamen fatendum eſt, primum tertianæ veræ & mitis paroxysmum ſub Ephemeræ ſpecie fallere poſſe, cum

ſæpe

ſæpe per paucas horas duret, & blando ſudore ſolvatur, & ante elapſum viginti quatuor horarum ſpatium omnes functiones in integrum reſtituantur. Curationis denique facilitas febris levitatem oſtendit. In Ephemera nec vitæ periculum eſt, neque ullus metus, ne vires perdant ægri tam brevi temporis ſpatio; cumque vix ullam materiem habet hæc febris, acre, ſi quod adſit, brevi enervabitur vel expelletur de corpore; lentor levis, forte hanc febrim comitans, per febrim ipſam ſolvetur, & blando ſudore expelletur de corpore. Cum autem ſymptomata, quæ Ephemeræ agſunt, ſemper levia ſint, nulla mitigatio horum locum habet, non paulo poſt una cum febre evaneſcent. Sufficit ergo abſtinentia, quies corporis & mentis, una cum diluentibus.

IMFAMMATIO CHRONICA.

Eſt etiam phlogiſtica corporis conditio; quæ per menſes & annos ſæpe hominem infeſtat. Inter chronicas has affectiones *hæmoptæ* chronica eminet, quam *Stollius* alio etiam nomine pleuritidem latentem & chronicam appellat. a) ,, Pleuritidem noſco latentem & chro-

chronicam, in hominibus angusto thorace, longo tenuique collo, corpore gracili, gratioso, junceoque, scapulis alarum in modum exstantibus, facie nitidissime candida, genisque roseis, vivida promptissimi ingenii vi, fibra delicata, ac perquam irritabili multatis potius, quam donatis. Hi sæpenumero inflammatoriam hanc hœmoptoen patiuntur, quam cortice peruviano in juvene quodam exacerbatam, atque in phthysin velocissime conversam novi; in alio vero phlebotomiis parcis, sed frequentissime repetitis, & vivendi ratione summopere antiphlogistica non equidem percuratam, nihilominus tolerabilem effectam, prohibitamque per plures annos ab imminente jamjam pulmonali phthysi; donec sospitatore suo, qui ægro suo hucusque solerter provideque cavit, dimisso, alius accerseretur, rerum minus peritus, qui cum corroborandos esse pulmones assereret; ægrum irreparabili tabe non multo post consumptum vidit. "

a) Stoll ratio medendi. T. III. p. 14.

Ad eam corporis dispositionem, quæ chronicæ huic thoracis inflammationi plurimum favet, præcox illud & ingens corporis incrementum pertinet, quod in rachiticis sæ-

pe

pe obſervatur, atque talem efficit thoracis oſſei compreſſionem, ut reliquo corporis habitu non reſpondeat. Qui tali corpore formaque, qualem deſcripſimus, præditi ſunt, hi labe rachitica ſerius ſeſe manifeſtante affecti *Stollio* videbantur. Tuſſiculoſi, catarrhoſi, hœmoptoici, tandem phtyſici evadunt, atque in flore ætatis pereunt. Integræ tales familiæ ſunt, ut malum certo, inque ſeros nepotes propagetur, niſi forte fortuna aut alterutrum parentem proles ſequantur meliori ſorte donatum, vel mature medicatio tonica, atque antirachitica accedat. a)

a) Stoll praelectiones in diverſos morbos chronicos. p. 19.

Ceterum teneram hanc fibræ conditionem præclare *Huxhamus* deſcripſit a). „ Fibrarum ſpecies alia eſſe videtur, cujus nulla facta eſt men io, quæ nominari poteſt *t nera* vel *delicata ſolidorum conſtitutio*, & quæ facillima ratione dolore aut gaudio ſummo afficitur; quorum vera ſtamina ita ſunt tenuia, ut leviſſima a cauſa turbentur. Quod ſæpiſſime in teneris, pulchris hominibus, delicatioribus & admodum agili forma obſervatur; quibus quidem *ſpiritus* ſunt in pron ptu, licet *vires* deficiant. Tales non raro hæmoptyſi,

tysi, vel aliis hæmorrhagiis, tabe & phthysi afficiuntur pulmonali; indeque id oritur, quod peculiari nomine appellatur consumptio. "

a Huxham. oper. Tom. II. p. 40.

CAUSÆ EXCITANTES SYNOCHI IMPUTRIS.

Suppressæ sanguinis evacuationes, quibus homo semel assuevit, plethoram, atque inflammatoriam diathesin inducunt. Observatur id præcipue ab intempestiva hæmorrhoidum suppressione. Id etiam fœminis subinde accidit, mensium fluxu cohibito. Omnium autem maxime frigus æstuanti corpori subito admissum inflammatorias febres excitat. Hinc *Sydenhamus* sedulo familiares monuit, ut nullo anni tempore quidquam vestium, quibus adsuevere, sibi detrahant; nisi mense uno ante solstitium æstivum; nec minori cum studio eos hortabatur, ut ab exercitio calescentes frigus sedulo evitent a.)

a) Sydenham p. 258.

Diætam spirituosam plurimum conferre ad inflammationem excitandam, quotidiana observatione constat; atque *Grantius* conqueritur, victus carnei, atque potuum fermenta-

tione

tione paratorum abusu plures Anglos periisse, quam peste, fame, aut bello; neque catarrhos in Anglia posse sanari, nisi æger vestibus contra frigus se præmunit, atque diæta tenuiori utatur.

a) Grant von den Fiebern. p. 141.

Gravidarum sanguinem inflammatoria diathesi laborare, supra dictum est. Idem de puerperis valet; atque illa etiam febris, quæ vulneribus supervenit, plerumque inflammatoria ab initio; quamvis brevi in castra Epidemici transeat.

FEBRIS INFLAMMATORIA SIMPLEX ET COMPOSITA.

Prima Synochi imputris divisio in *simplicem* & *compositam*, quæ cum alia febre cardinali societatem init. Jungitur enim e. g. cum febre biliosa, aut pituitosa, aut etiam, intermittente. Atque in hoc ipso connubio varietas occurrit. Subinde cum inflammatoria febre alia febris simul exoritur, pari passu progreditur, atque una cum illa fatiscit. Alias febris illa adscititia effectus ipsius synochi imputris est, cum e. g. inflammatoria febris a causa singulari excitata corpus ad regnan-

nantem febrim epidemicam difponit, atque in eam tranfit. Neque id rarum omnino eft, ex febre aut biliofa, aut pituitofa corpus primum occupante ferius paulo inflammatoriam febrim progigni. Frequentiora utique funt hæc inflammatoriæ febris connubia, quam fimplex fynochi imputris apparentia; ut ergo difficilius fit utriusque febris mifcelam, ob fymptomatum copiam atque varietatem, exacte æftimare; periculum majus immineat, vi naturæ medicatrice contra diverfas febres exftimulata; atque ob eandem rationem medendi methodus majoribus femper difficultatibus prematur.

Diverfiffima complicationis exempla habentur. Nam & biliofa febris frequentiffime inflammationem junctam habet. Atque omnia ferme exanthematum genera inflammatione ftipantur. Prima variolarum febris plerumque inflammatoria; morbili noftris in terris vix non femper peripneumonicam affectionem præfeferunt. Vidimus in fchola clinica in febribus maxime inflammatoriis miliare exanthema, atque petechias. Ex hac obfervatione practicorum lites, an, & quo tempore in his febribus exanthematicis, antiphlogiftica methodus adhibenda fit, dirimendæ funt.

Quam-

Quamvis nunc enarrata ſynochi imputris cum aliis affectionibus connubia neque difficilem admodum habeant diagnoſin, neque medendi methodum reddant magis intricatam; eſt tamen alia adhuc febris inflammatoriæ conjunctio, quæ non niſi ab oculatiſſimo medico dignoſcitur, atque cognita etiam medelam ſæpe nullam admittit: conjunctio nempe ſynochi imputris cum febre putrida. At difficillimum eſt *veram* inflammatoriæ febris *cum putrida* complicationem ab *apparente* connubio dignoſcere; non raro enim ſynochus imputris *larvam putridæ* febris induit, tunc maxime, ſi phlogoſis aut a bile admixta, aut a rheumatica materie acrior atque malignior fuerit reddita. Amplam elapſa hyeme nanciſcebamur occaſionem larvam hanc intuendi, cum paſſim regnaret inflammatoria febris, non ſincera, ſed rheumaticæ indolis, non absque omni tamen bilioſo vitio. Multis medicorum ſub larva putridæ febris impoſuit hæc ſynochus imputris, ut operæ pretium ſit, notas illas exponere, quibus medici ſeducti antiſepticam medicinam faciebant; erant autem ferme ſequentia ſymptomata.

1. Peculiaris capitis affectio, ut vertiginoſi, temulenti mox in initio eſſent ægri,

 aut

aut ſuæ ſortis omnino incurii, quæ animi indifferentia non a nativa temperie, ſed a morbi vi fuerat inducta.

2. Pulſuum debilitas; aut naturalis ferme celeritas, reliquis morbi ſymptomatibus, utpote gravibus, non reſpondens.

3. Petechiarum copioſa eruptio, febrium putridarum indivulſa comes.

Intereſt ſane plurimum, exacte perpendere, an ex horum ſymptomatum præſentia febrim putridam adeſſe recte exiſtimes, ut ab iis ſolis remediorum antiſepticorum uſus indicetur. Ut autem ab illa gravi encephali affectione ordiar, ea in bilioſis etiam aut pituitoſis febribus nonnunquam obſervatur, ut id ſymptoma febri putridæ proprium non ſit. In noſtris ægris, quorum plurimi in ſchola clinica, atque etiam in urbe decumbebant, non inſolens erat hoc ſymptoma, atque non ſine ratione, urinis præcipue parcis, alvoque ſegniore, metum ruentis ad encephalum materiæ, injiciebat. Emollientiſſima methodo hanc metaſtaſin avertere nitebamur, atque in quibusdam ægris ferme jam factam revocare feliciter contigit. Vidimus ſola antiphlogiſtica methodo ſenſim redire animum, ægrosque, qui initio proprii corporis imbecillita-

tem

tem non perſenſerant, de maxima dedolatione quærelas agere; liberato enim ab humorum pondere encephalo, ſenſus etiam ipſius morbi rediit.

Alia deceptrix nota in pulſu debili habebatur. Fuerunt enim ægri, qui cum in noſocomium venerant, non tantum naturali haud celeriorem, ſed omnino debiliorem pulſum exhibuere. At quis neſcit: in viſcerum, præcipue abdomalium, inflammationibus *fictitiam* ab initio ſæpe pulſuum debilitatem adeſſe, ſecta autem vena eosdem pulſus magis, magisque evolvi, atque plenos durosque reddi? an eſt cur miremur, in ſynocho imputri, abſentibus topicis inflammationibus, idem poſſe contingere? tunc nempe, uti præclare *Sydenhamus* ait, *cum natura a primo morbi impetu quaſi oppreſſa deviētaque non ſatis valida eſt, ut ſymptomata regularia & magnitudini morbi conſona exſerat;* omnia vere phœnomena prorſus ſunt anomala. Etenim perturbata œconomia animali, & quaſi disjecta, febris exinde deprimitur, quæ obtinente genuino *Naturæ* ductu, vigere ſolet. Cujus rei experimentum haud vulgare occurriſſe mihi memini multis abhinc annis in juvene quodam, ad quem accerſebar. Quamvis enim fer-

me animam agere videretur ille, calor tamen in externis corporis partibus ita ad tactum sentiebatur temperatus, ut fidem mihi derogarent adstantes amici, quoties asserebam eum febre laborare, quæ ob sanguinis oppressionem (cujus mole, exitu negato, quasi strangularetur) se explicare & ostendere palam nequibat: quod si venam inciderent, febrem illico satis violentam statim animadverterent. Aperta vena, & sanguine paulo copiosius ducto, emicuit febris, qua vehementiorem mihi nondum videre contigit, quæ non nisi tertiæ quartæve demum phlebotomiæ cessit. a) Idem in morbis inflammatoriis thoracis observavit *Huxhamus*: haud raro autem contingit, ut pulsus in ipsis principiis obscurus & oppressus, inordinatus, tardus, & nonnunquam intermittens videatur; ut ægrotus eodem tempore de magna debilitate, atque oppressione conqueratur: quæ quidem omnia sanguinis detractionem interdicere videntur: pectoris tamen gravitas, spirandi difficultas, anxietas major, & æstus circa præcordia, eam aperte postulant — cuncta hæc sæpe juniores vexant medicos. Quibus vero perpendendum esset, talem subitaneum virium, spirituum, pulsusque defectum ortum suum non a sanguinis

ino-

inopia trahere, cum morbi per aliquot horas, aut per unum alterumve diem durationem liquidum vitale insigni ratione exhausisse, vix asseri queat. Tali profecto in casu non sanguinis defectus, sed nimia ejus copia præcipua horum symptomatum est causa. Humoribus enim aggravata, & ultra justum tonum distenta vasa sanguifera, tanto vigore, quantum sufficit, agere nequeunt. Æquilibrio solida inter & fluida non satis conservato, vasa moventia sanguinem vi conveniente propellere minus valent; pari fere ratione, ut nimium syringæ embolo oppositum pondus ejus liberam impedit actionem. b).

a) Sydenham. op. c. 541.
b) Huxham. oper. T. II. p. 106.

Ultimum tandem symptoma, quo perterriti medici veterani, atque juniores, contra putredinem ad arma clamabant, petechiale exanthema fuit, quod primis diebus totum sæpe corpus occupabat. At non tanta est horum exanthematum dignitas, ut iis apparentibus tam generosam adhibeamus medicinam. Præterquam enim, quod in aliis etiam febrium generibus erumpant, ubi absque antisepticis remediis ægri convalescunt a), ita vel a sola inflammationis vehementia horum exanthe-

ma-

matum originem non uunquam derivandam esse nullus dubito. Scimus enim calidiore regimine persæpe *factitias* oriri *petechias*. Cur id, quod artis opus est, non a *Natura* ipsa, a febrili causa nimium exstimulata, poterit produci? *Sydenhamus* quoque has efflorescentias inflammationi, ægri sanguini jam diu plus satis a febre accenso superinductæ attribuit b). Exemplum adfert idem auctor: stante hac constitutione (inflammatoria nempe) accersebar ad virum doctissimum D. *Morrice* hac febre cum effusissimis sudoribus, & frequentibus petechiis laborantem: consentientibus aliis aliquot medicis, utrique nostrum familiaribus, vena secta fuit; surrexit e lecto, abstersо primo sudore; medicamentis & diæta refrigerantibus usus est præsentissimo cum levamine, multis malis, atque periculosis symptomatis mox difflatis; & cum eidem methodo insisteret, intra paucos dies sanitati restitutus est. Scio equidem, *Riverio*, qui in praxi medica L. 16. S. 3. petechias pro symptomate tantum habebat, duplicem a *Ludwigio* allatam petechiarum distinctionem a *Cl. Selle* c) opponi: *unam* nempe speciem macularum irregularium, rubellarum, mox in initio apparentium: *alteram* autem macularum lividarum,

at-

atque in ultimo morbi tantum ſtadio accedentium. Verum ſi etiam hoc diſcrimen experientia eſſet confirmatum, nihil tamen ad diagnoſin febris putridæ conferret medico, cum non ab initio, ubi tamen medendi methodus eſt conſtituenda, ſed approximante jamjam morte prodeant. Miror, meris cutaneis efflorеſcentiis, quarum eruptio, color, evaneſcentia plus minusve mutationibus eſt obnoxia, medicos ad dignoſcendam febrem putridam voluiſſe uti. Multiplici obſervatione, præeunte *Stollio*, ſum edoctus, petechias omnibus febribus poſſe jungi; quamvis hoc verum ſit, uti miliaria in pituitoſa febre, ita petechiale exanthema in bilioſis febribus frequentius obſervari. Neque unquam ob petechias aliam medendi methodum adhibuimus, quam quæ a *febre principe* fuerat indicata.

a) Iil. Strack. de morbo cum petechiis.

b) Sydenham. oper. 540. — 168.

c) Rudimenta Pyretolog. p. 183.

Atque in ipſis etiam putridis morbis viſcera thoracis atque abdominis vere inflammari, cadaverum ſectionibus conſtat. Vidimus in puella, quæ febre apparenter putridiſſima decumbebat, pulmonem diriſſime inflammatum a). *Fr. Hoffmannus* b) deſcribit

fe-

febrim putridam gastricam, in qua viscera post mortem inflammata & sphacelata vidit. Hujus indolis epidemicarum febrium descriptionem *Malouin* c dedit, in quibus gravissimas post mortem viscerum inflammationes observavit. Scio equidem occultas has inflammationes a quibusdam negari, quibus tamen *Cl. Wienholdt* d) præclare respondit. ,, Eorum causa, qui existimare possent, has inflammationes vel stases potius a debilitate venarum ortas, & in agone productas esse, aliis argumentis omissis, id tantum urgere mihi liceat, in hisce cadaveribus, quæ *Malouin* secuit, ulcuscula plura in intestinis conspicua, & crusta illa gelatinosa intestina obtecta fuisse, quam *illustr. Hænius* & alii egregii viri in inflammatis partibus post mortem sæpe viderunt. *Ils etoient*, dicit *Malouin*, *parsemés des ulceres*, *&* *leur partie veloutée etoit fardue d'une espece de glaire*, quæ satis manifeste testantur, veris inflammationibus annumerandas esse, & diu jam ante mortem adfuisse. "

a) In mea sylloge observat.
b) Fr. Hoffmann. diss. de febre maligna 1699. in suppl.
c) Malouin memoires de l'academie des sciences de Paris 1743. p. 52.
d) Cl. Wienholdt diss. de inflammationibus occultis. Götting. 1772.

Dif-

Difficillima certe in his occultis inflammationibus diagnosis. Febris enim sæpe ad sensum mitis; nulla de dolore quærela, præcipue, si encephalon affectum sit. Hinc in morbis putridis accuratissimum respirationis, atque hypochondriorum examen, ut de statu & pulmonum, & viscerum abdominalium recte judicemus. Sæpe rudiori abdominis attactu, ægri signa doloris edunt; parvæ, exploratoriæ venæ sectiones, & emollientissima methodus optima sunt contra septicas ejusmodi inflammationis remedia. Plurimos vidi ægros hac methodo a *Stollio* feliciter sanatos, qui antiseptico apparatu certo periissent.

FEBRIS INFLAMMATORIA UNIVERSALIS, ET CUM TOPICA INFLAMMATIONE.

Febris inflammatoria, seu simplex, seu composita, duas sub se comprehendit species. Prior species exhibet diathesin inflammatoriam per universam massam sanguinis dispersam. Altera species non intra humorum massam solummodo consistit, sed in alia etiam viscera, aliasque partes humani corporis incumbit; illa *universalis*, hæc *singularis* audit.

dit. A loci diverſitate variis nominibus inſignis febris inflammatoria ſingularis e. g. Phrenitis, ſi cerebrum; angina multiplex, peripneumonia, gaſtritis &c. prout hæc illave organa læduntur. Inflammationes autem, quæ in partibus contingunt, aut cum febre ſimul apparent, aut illam prius ſubortam ſequuntur, atque *ſymptomaticam* ſingularis inflammationes ſpeciem ſiſtunt. Quamvis autem diverſæ viſcerum aut aliarum partium inflammationes eandem cum febre inflammatoria univerſali medendi methodum, ſcilicet inflammatoriam habeant, ſolerter tamen oportet in loca inflammata inquirere, cum pro diverſitate læſarum partium, varius modus ſit applicandi remedia, variusque inflammationum eventus.

EXITUS FEBRIS INFLAMMATORIÆ.

Solet autem ſynochus imputris, ut omnis morbus, varios habere exitus, atque eos modo non unico; nempe:

In *Sanitatem*

lyſi

criſi ſalutari

ſudoribus

hæ-

hæmorrhagiis
urina
diarrhæa
abſceſſu externo
In mortem
magnitudine inflammationis
criſi erronea
abſceſſu interno
gangræna
In morbos alios
De ſingulis nunc ſermo inſtituendus.

LYSIS.

Seu *benigna reſolutio.* Hanc exſpectare licet, ſi cauſa levior febrem inflammatoriam excitavit; ſi ſymptomata febris mitiora apparent, febris ipſa non diu duraverit, corpus euchymum ſit.

CRISIS PER SUDORES.

Paucis, qui ex ſynocho imputri decumbant ægri, ea contingit felicitas, ut phlogiſtica labes ſenſim ſine ſenſu ſubacta, ſolutaque, ſine luculenta naturæ medicatricis contentione e corpore eliminetur. At multo fre-

frequentius, prægressa quadam naturæ lucta, devicta materies morbi, humorum vehiculo vario, viisque variis, evacuatur. Quæcunque autem fiunt criticæ evacuationes, communes *bonitatis* notas habent, quæ spem sanitatis futuræ adferunt. Evacuatio enim, ut critica possit appellari, coctionem sequitur, diebus, quas Antiquitas criticas dixit, accidit, & morbi levamen inducit.

Inter bonas crises, quibus synochus imputris in sanitatem terminatur, crisis per sudores frequenter accidit, tunc præcipue, si suppressa materia transpirabili ortum duxit, aut ad indolem inflammationis rheumaticæ proprius accedat.

Prænuntiant instantem sudorem criticum sequentia: pulsus mollis & undosus, inciduus, (id est, ictibus successive crescendo fortioribus.) Cutis pariter mollis, tumidula, & pruriens modice; aliæ excretiones, maxime urinæ, parcæ. Subinde una est leve delirium, & levicula horripilatio.

Sudor, ut criticus sit, debet esse post morbi ακμην, levans, universalis, per totum corpus æqualis, calens, non nimius.

Sudor in morbi principio, tunc solummodo bonus est, si febris sit a perspirabili

sup-

ſuppreſſo, a miasmate aliquo admodum volatili ſuppreſſo, a materie varioloſa.

Sudores plerumque & antecedunt, & ſubſequuntur criſes & criticas evacuationes.

CRISIS PER HÆMORRHAGIAS.

Solemnior febrium inflammatoriarum criſis, hæmorrhagiis per loca congrua ſubortis, accidit. Tribus præcipue viis fluxus hic ſanguineus prorumpit; atque triplex hæmorrhagiæ criticæ genus conſtituit.

Hæmorrhagia narium.
Hæmorrhoides.
Catamenia.

Hæmorrhagiam narium criticam prænotant ſequentia: rubor oculorum, rubeſcens facies, lachrymæ involuntariæ, ſenſus ponderis circa tempora, preſſio circa radicem naſi, ejusque fluxus & robur, cum narium pruritu; dolor pulſatorius ſyncipitis, ejus gravitas; anxietas & tenſio præcordiorum; dolor tenſivus nuchæ; viſus obſcuratio, tinnitus aurium, carotidum & temporalium pulſatio, pulſus ſubinde dicrotus.

Cave tamen, ne ſymptomata magis affecti encephali, habeas pro ſignis hæmorrhagiam narium criticam nontiantibus.

In hæmorrhoidario alias ægro, dolor in regione lumbari, dorſoque, nucha, ardens, tractivus, pulſans: frequens dijiciendi conatus & micturitio; putritus ad anum, & circa ſcrotum; præcordiorum, maxime hypochondrii dextri dolor tenſivus, & circa cardiam, inſtare notant fluxum per *hæmorrhoides* criticum, vel & per veſicam, utut rariſſime, ruptis nempe veſicæ hæmorrhoidibus.

Nonnunquam his ſymptomatibus præſentibus, non per hæmorrhoides, ſed *uterum* ſanguis fluit, ita, ut catamenia critica evadant, ſi modo incidat, aut proxime inſtet, tempus catameniorum.

Sed nota 1. criſes per hæmorrhagias plerumque ſolum fieri in morbis mere inflammatoriis, in aliis autem febribus rarius, & tunc ne quidem ſufficere. 2. catameniorum fluxum eſſe ſæpe *mere accidentalem*, & ſi anticipet, *mere ſymptomaticum*.

Egregie utilitatem hæmorrhagiarum illuſtrat *Herbenſtreit* a) „ oportet autem hæmorrhagias, uti alias quascunque evacuationes criticas, ſi hunc titulum tueri volunt, vir-

virtutibus pollere iſtis, quæ excretionem ali- quam ornant, effectu, qui in euphoria ægroti conſiſtit commodo, maturitate, quæ ad legitimum morbi tempus refertur, & ſufficiente copia: quod ſi enim iſta deſunt, magno ægrorum incommodo ſanguis fluet. Copioſum ſanguinis fluxum febres ardentes volunt, eumque vel ſtatim a principio, vel aliquo illorum dierum, quos experientia magnam in conficiendis morbis acutis vim habere docuit. Uti enim ſtatus inflammatorius viſcerum hoc ipſo avertitur, vel præſens mitigatur, totius vis morbi frangitur, & reliquis evacuationibus, miteſcente æſtu, ſudori, urinæ turbidæ, via ſternitur; ita hæmorrhagia ſymptomatis quibusdam, dolori aurium, ſurditati febrili, capitis doloribus, vertigini, ſpinæ doloribus, & aſthmati præſentaneum affert ſolatium. "

a) Herbenſtreit Palæolog. p. 366.

CRISIS PER URINAM.

Urinæ, quæ ante coctionis tempora, parcæ, atque flammeæ fuerant, coctione prægreſſa ſæpius largius fluunt, morbumque ſolvunt ſedimento lateritio, aut rubello depoſito.

Uri-

Urinas criticas prænotant tenſio dolorifica', pondus hypogaſtrii & regionis lumbaris; itemque micturitio frequens. Siti interim, cute ſicca, & ſicca lingua.

DIARRHÆA.

Rarius criſes contingunt per alvum; atque tunc ferme, ſi materies, quæ per ſudores atque urinas debuiſſet ſecedere, ob natum alicubi impedimentum, ad hanc potius viam determinatur.

Diarrhæam criticam præcedunt: leviores dolores colici, murmura, flatus; tenſio & elatio hypochondriorum, dolor lumborum, urinæ parcæ; ſubinde pulſus intermittens; lingua ſubinde tremela, humectata, ubi antea fuerat ſicca.

Obſervamus ſubinde in ſynocho imputri diarrhæam a ſolo ſtimulo inflammatorio inteſtina irritante, ſeu, ut cum Sydenhamo loquar, a *radiis* inflammatoriis in inteſtina inverſis. Nihil huic profluvio æque conducit, ac venæ ſectio, & ſanguinis contemperatio. a)

a) Sydenham p. 168.

AB-

ABSCESSUS.

Aliusexitus fynochi imputris fit per *abfcesfus*. Si id in partibus externis contingat, ut materiam morbofam maturare, atque puri exitum conciliare poffis, fanitas hoc modo reftituitur.

Abfceffum futurum alicubi prænuntiant: dolor, rubor, tenfio, tumor alicujus partis, aut impedita aliquantum vifceris actio; febricula cum horre fuborta.

Egregie hoc imperfectæ coctionis opus, *abfceffus nempe per materiem*, *Herbenftreit* a) exponit. „ alia eft naturæ ad motus criticos deftinatio, fi non tam propter humores immotos atque tenaces, fed propterea, quod plus fluidi vafis infit, quam quod capi ab illis, & circumduci poffit, & propter plethoram feu fanguinis, feu feri, fivetotius hominis, five quorundam ejus vifcerum, actiones variæ læduntur. Tunc enim, ne quid eorum, quæ propter plethoram fieri poffunt, ac folent, eveniat, evacuationes, quæ humori refpondent, per motus fingulares, ad hunc finem profpicientes, inftituuntur, & eo usque continuantur, donec menfuræ inter folida & fluida æqualitas reftituta fit. Ille autem, qui vi-

ribus vitæ datus eſt, impetus, efficere haud ſemper poteſt, ut neceſſaria humorum verſus locos debitos deſtinationes, ſufficientesque eorum ſtuxiones celebrentur quam expeditisſime; nam excernendorum copia, & organorum ineptitudo, quo minus fieri poſſit, quod factu opus eſt, vehementer ſæpe impediunt. Fit ergo ſecundarium quoddam opus, quod excretioni utcunque æquivalet, ut, qui ſecedere prorſus nequeunt humores, per totum diffundantur hominem, & ad alias ejus partes transferantur. Incerta omnino, vaga, atque lubrica eſt humoris ejusmodi morboſi, qui per debitum ſibi organon expurgari haud potuit, deſtinatio. — Neutiquam autem fortuitus ille eſt caſus, ut perinde ſit, quorſumcunque malus humor vergat, nec etiam ſoli naturæ voluntati, quamvis facultas iſta principio vitali deneganda prorſus haud eſt, ille eventus tribuitur, ſed mechanicæ, cur illud fiat, rationes ſubſunt. Quodſi enim, quocunque vel regiminis, vel therapiæ peccato, vel inſufficiente ad motus robore vitali, vel excernendorum copia, criſis legitima evacuatione debita haud contingit, transfluunt retenta, & in partes magis imbecillas deferuntur. Quapropter vel ad glandulas, vel ad

ex-

extrema, utpote quibus textura laxior per indolem ſuam data eſt, convertitur humoris reſiduum. Major tamen ſemper eſt morbi metaſtaſin paſſi difficultas; nam vel imperfecta illa criſis eſt, vel omnino perniciosa. "

a) Herbenſtreit l. c. p. 247.

Exemplum critici talis abſceſſus *Swietenius* adfert. a) In febribus aliquando obſervatur, verum pus, & magna quidem copia deponi ſatis ſubito in quasdam partes corporis, atque inde eductum fuiſſe, licet nulla inflammatio in his partibus prægreſſa fuiſſet, & nulla ſigna docuiſſent in aliis corporis locis pus illud collectum latuiſſe prius, quod dein venis reſorptum ad alia loca deponi potuiſſet. Vidi hoc aliquoties, & miratus fui; imprimis in muliere febre continua laborante, quæ jam vigeſimum diem ſuperaverat, & evaſura videbatur, cum declinaret morbus, & nulla terrifica ſymptomata adeſſent. Subito enim de calore obtuſo brachii utriusque conqueri cepit, cum tamen pridie nihil mali in his partibus percepiſſet: atque luſtrans ſedulo has partes ſenſi ſub integumentis, quorum color non mutatus erat, fluctuare magnam humoris copiam; apertura facta exivit pus, & brevi depuratus fuit, & conſolidatus ille abſceſſus. Interim tamen

in toto morbi decurſu nullam topicæ inflammationis, vel ſuppurationis notam in quadam corporis parte obſervare mihi licuit. Hinc credidi, cauſam materialem febris per febrim ſic ſubigi, & mutari poſſe, ut puris analogam naturam acquirat, licet adhuc cum reliquis humoribus per vaſa fluat; & dein deponi illud pus jam factum in loca quædam corporis; non vero illud gigni in illis partibus corporis, in quibus collectum invenitur. Certe apud veteres medicos habentur plura, quæ non mediocriter huic opinioni favent. Apud *Hippocratem* b) „ ſequentia leguntur. *Quæcunque vero febris longior fiat*, ſalutariter tamen decumbente homine, neque dolore detinente ob inflammationem aliquam, neque ob ullam aliam evidentem cauſam, huic abſceſſus cum tumore & dolore ad articulum aliquem, maximeque in inferioribus partibus exſpectandus eſt. Magis autem oriuntur, & breviori tempore ejusmodi abſceſſus annis triginta junioribus. Suſpicari autem oportet ſtatim de abſceſſu in talibus, ſi viginti dies febris detinens ſuperet. Et Galenus c) dixit: putredo autem humorum, quæ fit in vaſis, ſimilis eſt illi, quæ fit in inflammationibus, & abſceſſibus, & aliis tuberculis. Bina

au-

autem genera hujus putredinis esse dixit, & ex horum permistione aliud tertium varia specie existere, pro varia nempe horum binorum inter se proportione: alterum nempe fieri vincente natura, alterum vero devicta. Vincente quidem natura, uti in inflammationibus, & tuberculosis omnibus tumoribus, pus fit; in humoribus autem arteriarum illud, quod subsidet in urina, puri analogum. Hæc autem putredo non simpliciter putredo est, sed aliquid coctionis habet. Manente enim concoquente facultate vasorum, putrescens tunc humor ad talem alterationem deducitur. Ubi autem illud puri analogum cum sanguine fluens per urinas separabatur, expellebatur futuri abscessus materia: atque inde patet iterum ratio, quare *Hippocrates* dixerit: d) qui urinas tenues & crudas mejunt multo tempore, sique cætera, ut superfuturis, signa sunt, illis abscessum ad loca infra septum transversum exspectare oportet. Et contra: quibus spes est per articulos abscessum fore, liberat ab abscessu urina copiosa & crassa, & alba reddita. e)

a) Swieten Comment. T. II. p. 81.
b) Hipp. prognost. T. VIII. p. 676.
c) Galen de febribus. L. 1. c. 7. chartes. T. VII.
d) Idem prognost. chart. T. VIII. chart. p. 636.
e) Hipp. aph. 3. Sect. VI.

Ceterum de crisi, atque criticis evacuationibus in *genere* sequentia sunt notanda:

1. Si mutatio in sanitatem contingit, tunc morbo ad vigorem & *ακμην* veniente fiunt quædam *evacuationes manifestæ*, materiæ cujusdam, unde primo levamen, dein etiam plena morbi solutio fit. *Crisis* fieri tunc dicitur & *critica evacuatio.* Ea materies consideratur plerumque tanquam causa materialis morbi, tanquam fomes morbi. Etsi forte nonnunquam sit febris potius effectus, generataque sit primum in decursu febris. Sed vel sic, nempe serius generata, nihilominus eliminari debet.
2. Raro una solum *via*, uno solum *modo*, uno solum *tempore* crisis & evacuatio critica contingit.
3. Dignoscimus evacuationem salutarem, *criticamque* a non critica per hoc, quod crisis, & evacuatio critica contingat morbo ad summum profecto, nunc vero mitescente.
4. Quamdiu morbus est in augmento, tamdiu dicitur crudus esse. Hinc patet, quid sit *cruditas* in morbo: major scilicet recessus a sanitate.
5. Ubi verbo morbus consistit, neque amplius augetur, dicimus incipere coctionem; & tan-

tandem fieri *crisin*, *coctique* evacuationem.

6. Crisis & evacuationes criticæ cadunt in tempus remissionis.

7. Exacerbatio consueta crisin præcedens solet esse omnium validissima plerumque, estque nota sub nomine perturbationis criticæ.

8. Ipsa evacuatio durat sæpe multis diebus consequentibus,

9. Crises fiunt *perfectæ*, & *imperfectæ*; ubi scilicet non omnis materies evacuatur.

10. *Imperfectæ* crises generant aut *relapsus*, recidivas, aut morbos *chronicos*, non nisi nova suborta febre curandos. Sic male judicata intermittens obstructiones relinquet, quæ optime tolluntur orta nova febre.

11. Rarius non crises legitimas observamus, diebus criticis alligatas; quia minus attento observamus; quia methodo nimis drastica, nimis activa, passim utimur, ubi leniori medicina opus esset. Armati evacuationibus, vesicantibus, opio, alterantibus, aliisque, naturam medicatricem quotidie vexamus, turbamus. Medicinam indirectam, in generalibus versantem, non amplius novimus: secamus, urimus.

12. Ruri crebro comparent crifes, & exacte.
13. Etiam in *continuis* crifes contingunt fæpe, non tantum in *remittentibus*; maxime in *biliofis*, etiam in *inflammatoriis*.
14. Quilibet paroxysmus intermittentis *criticam* evacuationem habet. Ipfa intermittens e. g. tertiana, poft quintum, aut fextum tum circuitum fæpe judicatur.
15. Allatæ nunc rationes funt, cur crifes tam raro compareant. Interim etiam aliæ fuppetunt in laudem artis: fic in *febribus* inflammatoriis generofa methodus antiphlogiftica cito benignam refolutionem efficit, fine notabili crifi. In *morbis biliofis*, in faburralibus, faburralibus putridis, materies toto morbi tempore eccoproticis, fubinde purgante, emeticove fubducitur paulo citius, quam ea molimina contingant, quæ fub nomine perturbationis criticæ, & crifeos veniunt.
16. Hinc patet, non nimium fidendum effe diebus criticis ab Hippocrate obfervatis, cum & alii fæpe critici fint, & initium morbi non femper exacte fciatur.
17. Propter diem criticum inftantem nil eft omittendum, cujus *claram* habeamus indicationem.

18. Nonnunquam morbus morbo judicatur, e. g. febris biliofa fuperveniente intermittente tertiana. Acuta quævis abfceffu aliquo; fuperveniente peripneumonia, quæ tamen plerumque lethalis evadit, ob vires antea fractas.

19. Subinde febris febrim excipit, ita ut nullo intermedio tempore biliofa in putridam &c. commutetur, mutatione nonnunquam vix animadvertenda, nifi a fagaci medico. *Gravis obfervatio de tranfitu unius febris in aliam.*

20. Nonnunquam febris morbo quodam chronico fponte judicatur: fcilicet parotide; tumoribus glandularum colli, fubmaxillarium infarctu hepatis, maxime tamen lienis, diarrhæa chronica, artrithide; vifus, auditus læfione.

21. Subinde metaftafi purulenta ad partes varias, prout aliqua antea ægrotaverit. Sic poft variolas ad articulationes, oculos, pulmonem &c.

22, Notum eft illud *Hippocraticum: incertæ prædictiones in acutis, five ad vitam, five ad mortem*: videndum eft, unde hæc incertitudo veniat.

Duplicem incertitudinis hujus fontem esse puto: *alterum, corporis prædispositionem individualem; alterum, ipsum morbi genium.* Teste observatione & Hippocrate, morbus ibi frigitur, ubi quis partem habuerit ante debiliorem, illuc morbi materies decumbit. Ea partis alicujus præexistens debilitas, infarctus, transmittendæ materiæ impotentia, utplurimum a medico nescitur, neque sciri potest. In exemplo defluxionis catarrhosæ in debili pulmone, hæmoptoico homine, materiæ arthiticæ ad caput.

Morbi genius. Non quævis febris æque in depositiones aut crises erroneas proclivis est. Sic inflammatoria simplex, & impermixta benignissimus morbus est, & vix unquam has evacuantes crises facit. Videtur vitium esse potius partium solidarum, quam fluidarum. Morbus plerumque benigne resolvitur, sine notabili humoris cujusdam morbidi excretione. Aliter vero se res habet in febribus inflammatoriis compositis.

In biliosis præexistens causa materialis febris potius est in fluidis, in abundanti humore biliformi secundarum viarum. Plus hic periculi est, majorque metus criseos erroneæ. Quis enim promittat facile ægro suo, se ef-

fe-

fecturum, ut omnis humor alienus, biliformis ad loca ſecretoria & excretoria deferatur; ut nihil impingat, impactam hæreat in viſcus quoddam nobile, fors antea minus pervium? Hinc mortes in ſimplici bilioſa apoplecticæ, ſuffocantes; hinc ancipites parotides. Eadem ratio in putridis, ubi cauſa materialis videtur & in ſolidis, eorumque torpore, & in fluidis alteratis, morbidisque. Frequentiores hic, funeſtæque ſunt depoſitiones.

In rheumaticis arthriticisque, ſimplicibus & compoſitis, frequentiſſima criſis erronea eſt. Morbifica materies perſæpe, & ex ſuo genio vaga eſt, & indiſcriminatim partem quamcunque occupat. Uti nunc corpus, hora poſt genu, dein humerus dolet a materia rheumatica, ita depoſitio æque facili negotio ad encephalum, fauces, thoracem &c. vertitur, eventu inopinato.

Non mihi quis oggerat, in manu medentis eſſe, has & prævertere, & præſentes jam certo amovere. At omnis ferme medela indirecta eſt, ſæpe impar. Equidem talia pulchre & certo curantur *ex cathedra*; ut qui præcepta magiſtrorum hauſerit ex cathedra, nil amplius metuat, ſed ſui plenus, & omnipotenti ſuæ ſcientiæ confiſus, contemptor

tor eorum omnium, qui tanta & talia non poſſunt ad lectos ægrorum accedat, ut ibidem naturæ viribus imperet, & dominetur.

Verum infelix, ſi modo cor illi ſapiat, cito dejicietur a ſupremo ſcientiæ ſuæ putatitiæ faſtu, a ſuo naturæ imperio. Ceſpitabit, & hærebit in notiſſimis, & quotidianis, & multum temporis teret, multa faſtidia devorabit, multa leget, & meditabitur, donec circumſcriptos artis limites, & anguſtos dominii ſui fines, donec moderate ſapere diſcat. Atque hæc ei fortuna continget, ſi ab animi dotibus, ſi a ſcientiis auxiliatricibus ſit inſtructiſſimus antea; ſi ad meditationes inſtituendas animum habilem afferrat.

En quoddam medicorum criterium: Si videritis medicum ſuperbum, jactatorem, & qui quaſi naturæ jura dare conſuerit; ſi videritis eum aliorum contemptorem; ſi alieni conſilii non amantem, quin imo indocilem, præfidentem; eum prænuntiate ſatis certo ex cathedra ſolum inſtructum, qui ægros ſuos oculis aut nullis viderit, aut viderit perfunctorie, aut etiam in plurimis, quos forte viderat, vidiſſe, ſi non nihil, at certe pauciſſimum.

IN-

INFLAMMATIONIS MAGNITUDO.

Si morbus a caufis vehementiffimis, in homine acribus humoribus repleto; producta, atque mala infuper medela acceſſerit, vires Naturæ medicatrices fubigendo morbo impares, materiam morbofam neque coquere, neque per vias congruas eliminare poffunt. Ægri tunc in principio fæpe, ac vigore morbi pereunt.

CRISIS ERRONEA.

Alia crifeos imperfectæ fpecies habetur, cum lympha coagulabilis traffudans modo erroneo cavum quoddam corporis replet. Exitus hic inflammationum a *Stollio* & *Cullenio* a) obfervatus, fubitaneæ fæpe mortis, atque chronicorum malorum caufa exiftit. Si enim repente magna copia lymphæ coagulabilis in cavum aliquod tranffudat, atque contenta vifcera opprimit, mors cito fequitur. Nonnunquam fuppurationis univerfalis fpecies in his febribus poft mortem deprehenditur, dum omnia vifcera humore puriformi obtecta inveniuntur. Et quidem fæpe in iftis locis hæc materia reperitur, ubi alias lympha fecernitur.

tur. b) Si autem ſenſim, atque parciori copia hæc criſis erronea contingit, varia naſcuntur viſcerum cohœſiones, atque præternaturalia per pſeudomembranas vincula. c) Ulterior de hac criſeos erroneæ ſpecie loquendi occaſio erit, cum de ſingulis viſcerum inflammationibus agetur.

a) Cullen Anfangsgründe der praktiſchen Arzney. Th. *I.* S. 170.

b) Celeberrimus Selle rudimenta pyretologiæ. 1786. p. 107.

c) Cl. Blumenbach. inſtitut. phyſiol. §. 19.

ABSCESSUS INTERNUS.

Nonnunquam id accidit infortunium, ut in internis partibus abſceſſus oriantur, eo certius mortem inferentes, cum & nobiliora viſcera occupent, neque ars puri exitum poſſit conciliare.

GANGRÆNA.

Funeſtiſſimus exitus febris inflammatoriæ gangræna eſt. Inſtantem timeas, ſi dolor atque calor urgent, neque ulla reſolutio, nullaque luculenta criſis contigerit. Illam adeſſe ſcito, ſi dolor ſubito evaneſcat, pulſus ce-

celer, parvus, omni modo irregularis. Perattentus ſit medicus in dignoſcenda gangræna. Doloris enim abſentia, animus tranquillus, ſuperſtite ſola brevi reſpiratione, & magna, ob ſuperatum, ut credunt, periculum, hilaritas, minus attentos perſæpe fallunt, dum inſtante jam ob præſentem gangrænam morte, ſalutem proxime ſecuturam promittunt. a)

a) Stoll rat. med. T, I. p. 180.

EXITUS IN ALIOS MORBOS.

Varia febris intenſio, atque complicatio diverſam quoque viſceribus labem infert, a febre etiam ſanata, ſuperſtitem. Sic a materie phlogiſtica ad pulmones delata, chronica ſæpe ſpirandi difficultas, & præternaturalis pleuræ cum pulmonibus cohæſio oritur.

Præter hos nunc enarratos febris inflammatoriæ exitus *Scirrhus* etiam a *Boerhavio* notatur; verum recte celeberrimus *Cullen* monuit, rarius id contingere, neque ab inflammationis natura, ſed a fabrica læſæ partis, quæ utplurimum glanduloſa eſt, hunc effectum produci. a)

a) Cullen Anfangsgründe der prakt. Arzney T. *I.* *S.* 168.

Composita inflammatoria febris non hos modo, sed alios etiam exitus habet, qui in conjunctis his febribus observari solent. Pone enim inflammatoriæ febri biliosam junctam esse, omnes tunc illi exitus exspectandi sunt, qui a materia biliformi exitum quærente producuntur.

Id sæpissime in schola clinica observavimus, febrem cardinalem, cum jam in summa esset declinatione, sensim in aliam febrem proximæ constitutione desinere. Sic inflammatoriam febrim sæpissime vidimus in pituitosam transiisse.

DE PROGNOSI FEBRIUM IN GENERE.

Prognosin synochi imputris, tum simplicis, tum compositi Auctor §. 58. & 66. proposuit, quæ nullam requirit explicationem: De prognosi febrium in genere anno 1784. ita prælegit *Stollius*.

Prognosis est illa scientia, qua medicus exitum morbi prævidet, prævisum præcidit. Prognosis medici opus est exercitatissimi, & artis summa.

Ea vero scientia est necessaria, quia, qui futura prævidet, melius medebitur, multis

pra-

pravis ſymptomatibus obviam eundo, exitum pravum prævertendo. Qui futura prævidet, præſentia quoque clarius pervidet. Intereſt famæ medantis, ægro, ægri cognatis, aliisque reſcire, quis morbi eventus ſit futurus,

Prognoſis petitur ex ſequentibus fontibus:

1. ex cognita natura febris.
2. ex cognita epidemiæ indole.
3. ex ætate, ſexu, ſexus conditione, morbis præcedentibus, complicatis.
4. ex conſideratione functionum variarum, plus minusve læſarum.

Ex cognita natura febris. Sic febris inflammatoria ſimplex & univerſalis minus eſt periculoſa aliis continuis febribus; minus quoque periculoſa, quam ſi ſimul topica alicujus viſceris ſit inflammatio. Febris inflammatoria cum topica alicujus partis inflammatione minus aut magis eſt periculoſa, quo pars inflammata minus aut magis eſt ad vitam neceſſaria. Phrenitis, angina tonſillarum, œſophagi, capitis aſperæ arteriæ, pleuritis, peripneumonia unius aut utriusque lateris præ ceteris inflammationibus magis funeſtæ. Bilioſa ſimplex melior eſt putrida febre. Variolæ morbilis pejores.

Sed *secundus* fons est prognoseos *notatio epidemiæ*. Si enim videris hunc vel illum exitum crebriorem, inde prognosin ex parte deducere poteris. Sic dyssenteriæ anni 1776. erant curatu facillimæ 1781. vero difficiles. Febres hujus anni (1783.) continuæ non difficiles curatu.

Ex ætate, sexu, sexus conditione &c. Sic dyssenteriæ infantum pejores illis adultorum; convulsiones infantum frequentiores, minus tamen malæ. Quartanæ senecionum longæ. Sputum cruentum ab 18. anno ad 35. pericolosius; maxime in prædispositis. Sputum cruentum cum febre pejus quam sine febre, pejus in viris quam fœminis, minus periculosum, si ab arthritide, ab hæmorrhoidibus. Morbi acuti virorum rariores, sed graviores, & sæpius funesti; sputum cruentum in sexu muliebri minus periculosum. Periculosa acutæ recidiva. Periculosior febris complicata, quam simplex. &c. Plura huc pertinentia occurrent, ubi singulas febres principales seorsim pertractabimus. Nunc *quartum* fontem prognoseos exponam, scilicet considerationem *functionum diversimode læsarum.*

Id solum nota, plura signa & integram eorundem collectionem esse considerandam at-

atque ponderandam. Facies, oculi, lingua, respirationis conditio, somnus aut vigililiæ, mentis conditio, auditus, visus, tactus, pulsus, vires vitales, animales, naturales, situs, urina, alvus, cutis conditio, ipsius ægri sensus de morbi gravitate vel levitate &c.

Ad prognosin rite formandam omnium maxime consideranda est *respiratio*. Hæc si naturalis sit, plurimum confert ad salutem. Respiratio brevis, intercisa, accelerata in morbis non pulmonum mala valde; maxime in putridis, ubi tunc plerumque depositio vel ad caput vel ad thoracem est facta.

Pulsus post respirationem considerandus potissimum, utut multis fallaciis sit obnoxius & multis modis *accidentalibus* turbetur. Sic pulsus puerorum celerrimus sæpe ab exigua causa, levissima febre, terrore, clamore. Pulsus senum tardus, sæpe intermittens. Pulsus stantium, sedentium, semierectorum variat. Pulsus irritabilium, metu suspensorum, territorum primo medici accessu. Pulsus parvus ob parvitatem arteriæ, ob ejus profundiorem situm. Naturalis debilitas in hypochondriacis, naturalis celeritas. Pulsus in loco alieno, arteria aliam viam legente; hinc in utroque carpo tangendus pulsus. Pul-

 sus

fus acute dolentium parvus; fictiti e debilis pulſus entericorum, ſubinde cum frigore extremorum. Pulſus veluti naturalis in febre putrida, maligna nonnunquam.

Interim tamen pulſus plurima docet, conſideratis ſemper prædictis anomaliis. Cum autem comparari pulſus non poſſit cum eo, qui fuit in ſanitate, comparari debet cum eo, qui fuerat in prima viſitatione.

Mentis alacritas conſueta boni ominis eſt, atque inde quoque formari feliciter prognoſis poteſt: *conſuetam alacritatem* dixi, cúm aucta & non conſueta mentis alacritas ſæpe ſignum ſit imminentis delirii.

Timitidas, quærelæ, morbique tolerantia difficilior, atque ægri impatientia, ſi a morbo ejusque vi proveniat, non ſuppeditat bonam prognoſin: Si vero ſit ob aſſuetam meticuloſitatem, uti in irritabilioribus, ditioribus, viris antea ſemper ſanis & robuſtis, non eſt mali ominis.

Spes convaleſcentiæ boni ominis, exceptis phthyſicis, qui ſemper, utut fruſtra, bene ſperant. Mira eſt obſervatio, eaque fere conſtans, phthyſycos bene ſemper ſperare, utut conclamatos. Spes morbum fallit atque delinit. Deſperatio in hypochon-

dria-

driacis. Spes convalescentiæ & indolentia post graves dolores, cum frigore extremorum & facie *Hippocratica*, letalis.

Quærelæ multæ, graves, assiduæ, in morbo longo, corpore ceterum non multum ad speciem multato, significat *materiem arthiticam* latere.

Sunt, qui ob levem febrim, in quolibet paroxismo intermittentis mox delirant: hoc idiosyncrasiæ debetur.

Communiora prava signa sequentia:

Pulsus debilis parvus, & valde acceleratus, seu debilissime & celerrime micans. Pulsus fortis, durusque & simul celerrimus. Primus gangrænam, alter depositionem ad encephalon notat, junctusque est cum respiratione cita, parva, abdominali.

Pulsus summopere varius, formicans, subinde remittens, intermittens, repens, tardus, acceleratus.

Leipothymiæ absque causa consueta.

Urina tenuis & parca, nigra, cum sedimento nigro, profunde rubra, icterica in morbis non hepaticis.

Respiratio tarda, laboriosa; cita & parca; inæqualis, duplicata, uno latere peracta,

ab-

abdominales; tarda & ſublimis, ſtertoroſa, ſibiloſa, fervens, ſtridens.

Hypochondria elata, tympanitica & dolentia.

Lingua arida, ſcabra, fiſſa, fuliginoſa, contracta, tremula, porrigi impotens, frigida, retracta, prærubra, livida, nigra, aphtoſa.

Deglutitio læſa ſine vitio apparente, difficilis, cum periculo ſuffocationis peracta; ſonora, bolo veluti ex alto delabente: vix ullus hoc ſigno præſente convaluit.

Ungues, naſus, labia, palpebræ liveſcentes, cæruleſcentes.

Oculi detorti & obliqua tuentes, ſemiaperti, albo proſpectante, mucoſi, admota luce inſenſiles, immobiles, ſubflavi, ſubrubri, vireſcentes, refugientes intra orbitam, & lucis impatientes; vitrei; viſus privatio.

Fœtor ſoli ægro, non autem adſtantibus perceptibilis, aſſiduus. Fœtor vere cadaveroſus, obſervandus adſtantibus.

Sudores frigidi, viſcidi, in magnas guttas collecti; partiales capitis; colli & circa claviculas, thoracis, immoderati. Excipe ſudores hypochondriacorum.

Hæmorrhagiæ nimiæ per loca incongrua, pulmones, ventriculum, alvum, ſyſtema uropoieticum, uti in peſſimis variolis.

Alvus nimia atque exhauriens, non ſiſtenda, nigra, cadaveroſa, cruenta, invita, ſine ſenſu peculiari corporis, animique dejectio in homine non puſillanimi. Excipe tamen hypochondriacos.

Ingens dedolatio omnium artuum; indifferentia.

Tremor artuum, maxime ad attactum, veluti refugientium.

Agrypnia aſſidua; ſomnolentia aſſidua. Singultus. Aſſidua deliria.

Stridor dentium; niſi in aſſuetis & in infantibus. Maſticatio aſſidua.

Os apertum ſemper, & veluti paralyticum; aut firmiter contractum, maxime ubi volueris aperire vi.

Artus, ſi contrectes & extendere velis, inflexiles cum tendinum ſubſultu.

Abdomen dolens, elatum, tympaniticum fluente alvo.

Grunitus aſſiduus. Vomitus æruginoſus, aſſumptorum; niger.

Facies cadaveroſa; palpebris, naſo, labiis liveſcentibus.

De-

Desiderium fugæ aut situs erecti. Floccorum collectio; aut ubi muscos captant; stragula trahunt, vellicant, complicant.

Convulsiones; nisi a dolore nimio, in infantibus, variolis instantibus. Jactitatio assidua nisi a saburra turgente & mota sit.

Alpinus de præsagienda vita & morte.
Cel. Gruner. Semiotice.
Cel. Petzold de prognosi in morbis acutis.

METHODUS MEDENDI IN FEBRIBUS INFLAMMATORIIS.

Cum naturam febris inflammatoriæ ignoremus, methodus medendi directa, & multo minus *specifica* non datur. Id autem constat, vires vitæ sæpius, aut etiam semper esse nimias, hominemque ideo periclitari, quia copia sanguinis justo major, & vis vitæ auctior est. Omnis ergo methodus antiphlogistica in hoc vertitur, ut stricta laxentur, & quantitas humorum movendorum imminuatur. Pertinent autem huc sequentia:

PHLEBOTOMIA.

Copia mittendi ſanguinis varia eſt, prout varia eſt ætas, conſtitutio corporis & anni, victus & conſuetudo, itemque vis morbi. Sic aſſueti venæ ſectionibus, hæmorrhagiis, victui carneo vinoſoque, aromatico, lauto, vitæ ſedentariæ ſimul, ventriculo vegeto exiſtente, ætate juvenili, virili, fæminæ præ viris, macri præ obeſis. Cautius agendum in infantibus pueriſque; ſeniculis; parce & crude paſtis; exhauſtis inedia, morbo prægreſſo, mœrore, venere, ſtudiis.

Quantitas ſanguinis pro una vice emiſſi fit unciarum decem, aut libræ unius; neque facile plus mitatur. Vix unquam ad animi deliquium usque mittendus ſanguis eſt.

Colligi ſanguis ſemper debet in ſcutellis, neque in aqua tepida, ut videlicet non nimium emittas; hinc vel in venæ ſectione pedis id eſt obſervandum.

Determinari ſanguis debet exacte a medico, vel præſcripto unciarum numero, vel vaſculo demonſtrato, vel libra & pondere.

Pulſus durante phlebotomia, & ſaltus ſanguinis fluentis non multum docent de mittendi ſanguinis quantitate.

De-

Deliquia ſub venæ ſectione præcaventur, ſi æger ſanguinem non conſpiciat, ſi cubanti mittatur ſanguis; ſi refocilletur aqua frigida, odoramentis, ſpirit. C. C. &c. aceto; ſi appoſito digito fluxus per vices interrumpatur.

Levamen a venæ ſectione duplex obſervatur; *fidum* & *infidum*. Illud conſtans eſt, hoc mox apparet; at paulo poſt morbus gravius ingruit. Sic male inſtituta venæ ſectio e. g. in febre putrida, mox in principio videtur levamen afferre, utut poſt paucas horas omnia multo pejora evadant.

Poſt ſex octove horas melius repetuntur venæ ſectiones, quam citius aut ſerius; tunc enim primum ſolent fidum levamen afferre.

Initio largius, & una vice mittendus ſanguis; id plus efficit, quam ſi id fiat parce & repetitim.

Nonnunquam febris poſt venæ ſectionem exaltatur, & intenditur, etſi prudenter inſtituta ſit venæ ſectio, eaque dein iterari aliquoties debet. Vires vitæ videlicet erant antea ſuppreſſæ potius, nunc vero liberius agunt. Hujus vero debilitatis ſpuriæ cognitio uſu diſcitur ab exercitato homine, & medicum emunctæ naris requirit. Summa tunc atten-

tio-

tione eſt opus, cum inepte facta venæ ſectio ægrum certæ morti traderet. Hinc optimum ſæpe cardiacum eſt venæ ſectio.

Fluxus catameniorum nunquam contraindicat venæ ſectionem, ſi ea ſit indicata. Notandum id bene, cum aniculæ, & earum ſectatores medici, aliter ſuadeant.

In hac febre, inflammatoria nempe, plerumque in ſanguine emiſſo poſt aliquod tempus cruſta alba, craſſa, contracta, fimbriata, deprehenditur. Ex cruſtæ hujus tenacitate ſanguinis nimiam denſitatem accuſarunt, etſi contrarium videantur evincere Anglorum, maxime *Hewſoni* experimenta. Circa hanc cruſtam ſequentia ſunt obſervata: 1. ea ſæpe adeſt, etſi nulla febris adſit. 2. nonnunquam deeſt in uno, adeſt in altero vaſculo. 3. nunc major in decurſu, quin & in fine morbi, quem in initio, nunc vice verſa. 4. frequens in gravidis, obeſis, robuſtis, plagas boreales inhabitantibus, hyeme, vere, in phthyſicis, vulneratis &c. Non eſt ergo neceſſitas iterandæ venæ ſectionis concludenda ex apparente *cruſta phlogiſtica*, ea ſolum aliquid docebit, ſi alia omnia ſigna conferantur.

FOTUS EMOLLIENS.

Præmiſſa venæ ſectione, quæ non ſolum ſanguinis quantitatem & velocitatem minuit, ſed diluentium etiam liquorum ingreſſui viam aperit. Balneum tepidum, crurum præcipue, fomentationes emollientes tepidæ conveniunt.

Enematum quoque emollientium uſus huc pertinet, ad libram β. bis terve de die exhibitorum, ut indurata incrementa, frequentius in inteſtinis hærentia, educantur, & materia biliofa acris, quæ alias, ad minimum pars ejus per vaſa lactea ceteraque reſorpta perveniat ad ſanguinis maſſam eliminetur; ſiquidem hæc in partibus pelvis & abdominis calidi & relaxantis fomenti genus exhibent, & tam a capite & præcordiis derivationem efficiunt, quam urinæ quoque excretionem juvant. "

a) *H*uxham Op. T. I. p. 24.

POTUS.

Potus pariter ſit emolliens, tepidus; ſaponaceus, acidiuſculus, refrigerans „ in febrium inflammatoriarum profecto curatione, præter convenientia, copioſaque diluentia

re-

refrigerantia, quibus pauca nitrofa, acidique vegetabilium fucci faponacei funt addita, plura parum neceffaria videntur effe remedia: hæc enim non fanguini folum juftum fluiditatis gradum confervant, fed ejus quoque proclivitatem in ftatum putridum coercent. Dum illa copiofe exhibemus, naturam (optimam noftram magiftram), fequimur tantum, quæ illa ferio poftulat. Nam quantum quoque illa in febribus averfetur efculenta, tanto avidius defiderat potulenta, malique ominis eft, fi illud non efficit, donec ad minimum febris multum fieri imminuta. a) Potulenta etiam quid faponacei & accidiusculi habere debent, ut intimius fanguini atque humoribus mifceantur. Oportet autem plura genera potuum in numerato habere medicum, cum paucis diebus, quod ipfis gratiffimum erat, ægri abhorrere incipiunt, & aliud quoddam defiderant. b) Sic decoctum hordei, cum oxymelle & nitro; aut decoctum fcorzoneræ, graminis cum fyrupo rubi idæi, herberum, acetofitatis citri, &c. Decoctum album Sydenhami ab Illuftr. Baldingero emendatum. c) Quod diluendi modum attinet, ægroto tam libere, & tam frequenter bibere, quam ipfi placeat, permittendum effe exifti-

mo,

mo, neque vero urgendum esse, ut ejus ventriculum uno impetu nimia copia oneret; quod nauseam, indigestionem, flatus, cum summa anxietate & vigiliis, tandemque vomitum vel diarrhæam gignit. d) Omnes hi liquores tepide, atque crebrius hauriantur, quibus sitis ægrorum maxime fallitur.

a) Huxham Op. p. 24.
b) Rudolph. August. Vogel. prælect. acad. §. 43.
c) pharmacopœa Edinburg.
d) Huxham. l. c. p. 25.

D I A E T A.

Diæta, tum febrium acutarum in genere, tum etiam synochi imputris, his potissimum continetur; ulterior singulorum ratio dabitur, cum de methodo indirecta sermo erit.

Diæta ægrorum ex febre quacunque decumbentium sit refrigerans, antiseptica, eupepta, aperiens, vegetabilis. Paretur ex fructibus horæis coctis quibuscunque; ex cremore hordei, oryzæ; sero lactis simplici, cum cremore tartari, cum spiritu vitrioli, vino, aceto parato. Absint carnes quæcunque, lac & lacticinia, leguminosa & juscula meraciora.

Le-

Lectus mundus ſit, & ſtragula cum induſio probe ſiccata, ſæpe mutentur. Peſſimi adhuc errores hac in re.

Aer renovetur feneſtris & janua aperta ſæpius, ita tamen, ut æger ſudans non perfletur. Fumo aceti luſtretur. Item nitro deflagrante ſuper ignem. Nil proſunt odoramenta, niſi nitrum ſimul deflagret. Nocent arbores & herbæ virides illatæ cubiculis.

Menſura caloris aut frigoris petatur ex grata ægri ſenſatione.

Lux aut tenebræ conciliantur, prout vel his vel illis æger juvatur. Peſſimus mos eſt ægros relinquendi in ſoporoſo ſtatu, veluti dormientes, ubi interea remedia negliguntur.

Medicus de adſtantibus & ægri inſervientibus diſponat; alternis noctibus inſerviat. Cautela hæc neglecta efficit, ut plures ex ordine ægrotent, & ſæpe pereant.

CONVALESCENTIA.

Non ſatis eſt ægrum, poſt difficilem atque ancipitem ſæpe naturæ cum morbo luctam e vitæ periculo evaſiſſe; niſi id etiam curet medicus, ut omnis recidivæ metus abſit. Faci-

ciles autem relapſus inflammatoriarum febrium obſervantur, ſi ab ea methodo, qua ipſe morbus ablatus eſt, protinus deſiſtimus, atque omnis convaleſcendi actio ægrorum arbitrio relinquitur. Nondum enim omni exſtincta phlogiſtica diatheſi, vel a leviſſimo in diæta errore, prior iterum inſurgit febris; eo perniciosior, cum in fractum, & a morbo, & a medendi methodo, corpus incidat. Præſtat ergo in emollientium remediorum protracto uſu perſiſtere, usque dum confirmatæ ægri vires relapſus metum nobis eximunt; eſt autem in medentis manu ea ratione, qua morboſa diatheſis fatiscit, remediorum etiam apparatui aliquid demere, cum ampliſſimus ſit antiphlogiſticæ methodi ambitus, pro vario morbi ſtatu laxandus, atque in anguſtiores etiam fines coercendus.

His generalia quædam ſubjungo, quæ in convaleſcentia ex morbis acutis præcipue obſervanda ſunt.

Cura reconvaleſcentium ſummopere eſt neceſſaria, nam ea neglecta, aut nova febrium genera, aut morbi chronici oriuntur: chronicorum hæc eſt frequentiſſima origo, uti nova febris chronicorum ſæpe medela.

Reconvalescentium cura maxime est necessaria 1. in fœminis, usque ad nova menstrua protrahenda. Hac neglecta, cacochymia, cachexia chlorotica, menses anomali, fluores albi pertinaces, arthritides &c. 2. in infantibus; equidem velox augmentum observatur post febres, sæpe infidum; initium enim tunc est rachitidis, habitus ad phthysin, tabemque. 3. Maxime id observatur post febres; post intermittentes, potissimum quartanas, durante adhuc epidemia. 4. post putridas, malignas curatior esse debet convalescentia, estque etiam tardior.

Symptomata reconvalescentium sunt sequentia.

Lucis & soni intensioris impatientia, potissimum post gravem febrim; capite per morbum præcipue ægrotante. Melius tunc plateæ sternerentur, ne ægri turbarentur, quam id fit tempore ipsius morbi.

Delirium mite & fatuitas: post putridas, malignas, lentas, præcipue post nervosas, blande, maxime circa vesperam delirant, pulsu accelerato & molli, absque calore tamen. Decipitur tunc medicus, putans febrile delirium esse. Tollitur hoc delirium tempore & tonicis.

Hypochondriaſis. Hypochondriaci in initio & augmento morbi paroxismos ſuos raro patiuntur. At morbo declinante, & in reconvaleſcentia redeunt hæ acceſſiones, & ſæpe graviter. Oportet id noſſe, ne relapſum morbi putes eſſe. Verum equidem eſt, oborta febre, & ea bene curata, morbos hypochondriacos inveteratos fuiſſe ſanatos.

Febricula convaleſcentium veſpertina, cum ſudoribus nocturnis. Poſt longas febres, keneangeia inducta, poſt deperditionem humorum magnam ex prægreſſis venæ ſectionibus, tono fracto, veſperi noctuque ſub ſtragulis iu primo ſomno incaleſcunt, ſudant. Habetur a non expertis pro febre hectica, a pure reſorpto, & latente alicubi vomica, utut male. Sanatur tempore, tonicis, cortice potiſſimum, equitatione.

Celeriores etiam convaleſcentium pulſus, fracta licet penitus febre ſubinde obſervantur, præcipue evacuationibus copioſioribus prægreſſis, in irritabilibus, protracta cura confirmatoria ad naturalem celeritatem facile reducendi.

Pervigilium reconvaleſcentium ab aucta irritabilitate eſt. Adeſt utplurimum ſimul hypochondriacis nervoſa. Curatur, non opio,

ſed

ſed tempore, tonicis, & diuturna corporis exercitatione.

Fames canina poſt febres bilioſas, intermittentes &c. Prodeſt tunc ſæpius, at parce aſſumere alimenta, eupepta maxime. Durat ea fames per 10, 14 dies plerumque. Seducit ægros in relapſus, ſi indulgeant. Appetitus plurimum ſuperat debiles vires ventriculi.

Ceterum, quibus adhuc modis curare oporteat ſingulos convaleſcentes, tunc exponetur, cum de ſingulis febribus ſermo erit. Eſt enim hic canon practicus circa curam convaleſcentium:

Eos curandos eſſe ex idea morbi prægreſſi, qui utpote varius, variam quoque reconvaleſcentium curam docebit.

INFLAMMATIO RHEUMATICA.

Expoſita hucusque antiphlogiſtica ſynocho imputri medendi methodo, id quoque addere non alienum eſt, aliam adhuc dari inflammationis ſpeciem, quam alii medici *ſpuriam*, *Stollius rheumaticam*, appellavit. Inſigne utriusque inflammationis diſcrimen, *genuinæ* videlicet, & *ſpuriæ*, multiplici obſerva-

tione, atque, ut ajunt, a posteriori demonstrabatur, & novis identidem observationibus quotidie demonstratur; nam 1. rheumatica inflammatio minus longe periculosa, ut plurimum est, &, nisi nobilissima viscera occupet, raro necat: gravior, letaliorque inflammatio *genuina* est.

2. Inflammatio *rheumatica* plerumque benigna resolutione terminatur, etsi multum fortasse temporis a morbi exordio lapsum sit; neque leges coctionis criseosque observat. Id in rheumatica pleuritide, materie non solos musculos intercostales, pleuramque, sed & ipsos pulmones occupante, constanter observavimus.

3. Etsi encephalo, utpote visceri, cujus integritas ad vitam summopere necessaria est, rheumatica inflammatio quam maxime inimica sit, atque illuc delata plerumque cito occidat, alias tamen non ignobiles partes longe minori cum periculo obsidet, quibus genuina inflammatio non nisi maximo cum vitæ discrimine inhæret. Sic genuina enteritis merito inter acutissimos morbos recensetur, quæ intra paucas non raro horas enecat. Nos interim rheumaticam ventriculi inflammationem, item aliam intestinorum vidimus, lon-

go

go utramque durantem tempore, nec gravibus adeo ſymptomatibus ſtipatam, ac tandem benigne reſolutam, etſi ſanguinem emiſſum cruſta adeo craſſa obtegeret, ut vix aliquid rubræ partis conſpiceretur.

4. Genuina inflammatio intra paucos plerumque dies concluditur, quocunque demum exitu finiatur. Raræ ſunt *veræ* illæ, ſimulque chronicæ inflammationes, de quibus inferius erit dicendi ratio. Verum rheumatica ad multas ſæpe ſeptimanas producitur, & oppido raro ſibi relicta intra exiguum tempus terminatur.

5. *Rheumatica*, etſi ſubinde partem quandam peculiariter infeſtet, latius tamen ut plurimum diffunditur.

6. His notis id etiam accedit, ſanguinem in rheumaticis inflammationibus detractum cruſta tegi craſſa, atque diffuſa; cum tamen in genuina inflammatione, tenuior ſit, atque contracta. a)

a) Stoll Ratio medendi T. I. p. 85.

INFAMMATIONES TOPICÆ.

His præmiſſis facilior tranſitus eſt ad eas febres, quæ ſingularem inflammationem indu-

du-

ducunt huic, illive organo; tota diverſitas horum morborum pendet parte affecta, quam occupat inflammatio. Et poſſunt illi morbi in alios ſimiliter inflammatorios mutari, dum manente febre acuta & inflammatoria mutatur tantum locus corporis, verſus quem materia inflammatoria deponitur. Sic inflammationes pleuræ, pulmonis, diaphragmatis, in phrenitidem mutantur toties, uti poſtea dicetur. Ita angina inflammatoria levatur, dum externa colli & pectoris integumenta plegmone, vel eryſipelate occupantur: materia inflammatoria, quæ prius fauces internas angebat, nunc exteriores partes obſidente. In his ergo morbis majus vel minus diſcrimen pro maxima parte pendet a loco, verſus quem per febrim deponitur materia inflammatoria. „ Tria ergo in febribus acutis inflammatoriis conſideranda ſunt. Febris acuta continua, inflammatio, & organum, cujus functiones per inflammationem occupantem læſæ ſunt: ſeduloque attendendum, quousque generalis febris & inflammatoriæ curatio ante tradita, his morbis conveniat, & quid præterea in ſingulis requiratur. Recenſentur autem morbi illi acuti inflammatorii, a capite incipiendo; deinde verſus alias partes

tes descendendo; unde phrenitis primum locum obtinet, ultimum uteri inflammatio. „ a)

a) Van Swieten Comment. T. II. p. 570.

PHRENITIS.

Notio & partitio phrenitidis.

In definienda phrenitide non una eademque apud auctores vocis significatio occurrit: alii enim phrenitidem *latiori* sensu accipiunt, atque omnem *febrim acutam cum delirio*, *phrenitidem* appellant. Eo sensu tot dari phrenitidis species, quot diversæ febres occurrunt, ipse *Stollius* exposuit. a) Patet hinc neque a delirii modo, an inter clamores ægri delirent, ac lacertorum suorum vires periclitentur, an vero inter verba solum ineptiant, tranquilli aut mussitando; neque si serius, ac morbo jam progresso, delirium accedit, propterea non erit phrenitis. Constat etiam phrenitis medendi methodum, si hoc vocabuli sensu utaris, a sola cognita febris acutæ natura esse desummendam. Alii, atque ipse *aphorismorum auctor* (69) angustiores intra limites phrenitidem comprehendunt, eamque adesse statuunt, si *delirium* adsit, *cerebrum primario* affectum, atque febris

bris fit acuta continua *inflammatoria.* Juvabit singulas definitionis notas seorsim exponere.

a) Stoll ratio medendi T. III. p. 207.

Delirium, utut plerumque assiduum sit, sæpius tamen intensionis atque remissionis gradus observantur. Neque ferocia semper adest a) „ cum enim & ideæ perceptæ quandoque adiaphoræ sint, sive non habeant sibi adjunctum illud placens, vel displicens, potest & sensorium commune affectum esse in morbis sic, ut delirent ægri, quamvis nec animi affectus, nec validi corporis motus deliria comitentur. Talia videntur esse illa deliria, de quibus dixit *Hippocrates* b): tremulæ, obscuræ desipientiæ, & ubi ægri continuo quasi attrectando aliquid palpant, valde phreniticæ. In commentario enim hujus loci monuit *Galenus* c) plurimos homines, atque etiam medicos aliquando errare, dum phreniticos non credunt ægros, nisi exsiliant de lecto, vel vociferentur; ideoque merito vocari obscuras has desipientias: cum tamen pessimi ominis sæpe sint, adeoque harum cognitio quam maxime sit necessaria. Cum enim omne delirium ponat cerebri affectionem morbosam, poterit & in tali casu ingens pericu-

lum

lum adesse, licet non adeo magni tumultus appareant. „

a) Swieten Comment. T. II. p. 321.

b) Hipp. Prædict. L. I. text. 32. CH. T. VIII. p. 721.

c) Galen. ibidem.

Alterum, quod in phrenitide vera notandum est, cerebrum in hoc morbo primario ab inflammatoria labe affectum esse: id est, labem phlogisticam non alio corporis loco natam, & inde in cerebrum delatam fuisse, sed in ipso cerebro, vel membranis illud involventibus a primo initio morbi adfuisse; licet per febris impetum augeri, possit præsens jam in cerebro vitium.

Tertium, quod ad phrenitidem requiritur, febris est, eaque inflammatoria. His tribus notis phrenitidem ab omnibus aliis aliarum acutarum febrium deliriis discernimus; eamque *genuinam* vocamus. a) „ Ubi vero materies illa phlogistica, quæ jam in cerebro ejusve membranis hærens phrenitidem facit, prius in alio loco corporis nata vel collecta fuit, & morbum fecit turbando functiones illarum partium, quibus inhæret; deinde per metastasin, liberata parte prius affecta ad cerebrum delata facit ferox & per-

pe-

petuum delirium, vocabitur talis morbus quidem *phrenitis*; verum, quia cerebrum non primario adfectum fuit, sed secundario tantum, non dicenda erit phrenitis vera, sed *symptomatica*. In utroque tamen casu eadem pars affecta est, similis materia morbi, *inflammatoria* nempe. Tota diversitas inter phrenitidem genuinam & symptomaticam tantum in eo consistit, quod in symptomatica illud, quod cerebrum turbat, prius in alia parte hæserit, postea ad cerebrum delatum. Cum hic de morbis inflammatoriis acuta febre stipatis tantum sermo sit, non agitur de talibus caussis, quæ in aliis locis corporis hærentes cerebrum turbare valent, & mira deliria, & ferocissima quidem producere; licet maneant in pristina sede hæ caussæ, neque ad cerebrum ipsum per metastasin deferantur. Certum enim est, sordes circa præcordia collectas omnes cerebri functiones turbare posse: sic tamen ut excussis his sordibus redeat illico functionum cerebri integritas: unde merito concludebatur, nullam topicam caussam in cerebro adfuisse illo tempore, dum ejus functiones turbatæ erant, sed omnium illorum malorum caussam & fomitem in aliis, & longe dissitis locis hæsisse. Necessaria autem est hæc di-

stin-

ſtinctio inter phrenitidem veram & ſymptomaticam, quia in curatione utriusque hujus mali magna ſæpe diverſitas requiritur, „

a) Van Swieten Commeat. Tom. II. p. 580.

CAUSÆ REMOTÆ UTRIUSQUE PHRENITIDIS.

Agendum jam erit de illis, quæ utramque phrenitidem, tam veram, quam ſymptomaticam antecedunt. Cum enim adeo periculoſum ſit hoc malum, & tam difficulter curabile, ubi invaluerit, omni ope attendendum eſt, ut cognoſcatur, an illud jure metuendum ſit. Novimus autem phrenitidem inſtare, ſi prægreſſæ fuerint tales cauſæ, quæ inflammationi producendæ aptæ ſunt, imprimis in capite, vel eandem aliis in locis natam verſus caput determinant: Omnia autem hæc jam ſeorſim exponenda erunt.

Quamvis omnes cauſæ inflammationi producendæ aptæ, etiam phrenitides poſſint excitare, aliquæ tamen ex hac claſſe præ ceteris producendo huic morbo idoneæ ſunt, eæ nempe, quibus proprium eſt, ut ſanguinem atque humores verſus encephalum urgeant.

Emi-

Eminet inter has caufas *ira*: fumma enim ira excandefcens homo nihil differt a furibundo phrenitico; ingens enim æftus accenditur, pulfus plenus, celer, validus fit, truces & fcintillantes prominent oculi, fanguine fæpe fuffufi, facies torva, & vultuofa apparet, quæve periculofa fpernit iratus, fibi aliisque nocens quam fæpiffime. Cum ergo adeo per iram turbentur cerebri functiones, motus humorum longe reddatur citatior, omniaque figna doceant, fanguinem majori copia & impetu verfus caput ferri, facile patet, ex valido hoc animi affectu phrenitidis periculum imminere. Tale exemplum phrenitidis ex ira natæ habet *Hildanus*. a)

a) Cent. 1. obf. 17. p. 24.

Infolatio frequentiffima phrenitidis cauffa. a) Duplex genus infolationis eft vernis, & æftatis adultæ temporibus; at effectu utrumque difpar. Ea, quam verno tempore obfervamus, rufticæ genti raro nocet; at urbium incolas, quibus irritabilior fibra, atque major per hyemem humorum copia collecta, magis infeftat. Dum enim primo vere calidioribus jam folis radiis corpus exponunt, humores verfus encephalon urgentur, cum ob plethoram major fit fanguinis ver-

fus

ſus ſuperiora raptus, tum ob aſſiduum inferiorum artuum a humidiori terra perfrigerium; epiſpaſtici ad inſtar ſol ad caput humores attrahit. Validæ tunc oriuntur cephalalgiæ, dolores lancinantes, capitis, & oculorum. Raro periculoſum id malum eſt; neque ullum inde incommodum ſentiunt illi, qui per hyemem corpus valide movebant. At gravius malum eſt, quod ab æſtivo ſole, cum homines ſub dio, aut validis laboribus corpus exercent, aut per aperta loca iter faciunt, unde ſæpe integri exercitus ingentem ſtragem patiuntur. Nihil magis periculoſum, quam ſi ſolis radiis expoſito capite quis dormiat. Meminit *Swietenius* b) binos meſſores, ſaniſſimos intra bihorium ſic periiſſe, dum fœni acervo incumbentes nudo capite meridiano ſoli expoſito, obdormiviſſent. A ſociis enim expergefacti titubabant, incondita quædam obmurmurabant, & paulo poſt moriebantur ambo. Neque hoc mirum videbitur, ſi attendatur, lignum, lapides, metalla &c. ſolis æſtivi radiis expoſita, ſic caleſcere poſſe, ut tangentis manum lædant. Tenelli etiam infantes, etſi breviori longo tempore radiis ſolis exponi ſoleant, at non tamen impune id ferunt, cum ab exiguis etiam

cau-

caussis facile lædantur: c) profundo enim sopore, per plures sæpe dies tenentur; sensuum perturbatio; insania validos inter pavores; convulsiones; cephalalgia per vices intensior; clamor; vomitus assiduus.

a) Tissot avis au peuple.

b) Swieten T. II. p. 584.

c) Tissot. l. c.

Opium. Calefacientes & inebriantes opii vires sanguinem ad encephalum urgendo periculosissimas phrenitides excitare *Stahlius* a) pronuntiat.

a) Stahl Casuale magnum.

Pocula nocturna. Ob humorum versus superiora raptum, qui ob protractas ad antilucana tempora vigilias, & stimulantis potus abusum contingit, valida, & periculosa sunt nervorum irritamenta, phrenitidem non raro excitantia.

Studia nocturna. Severiora, atque protracta in seram usque noctem studia universæ œconomiæ animali, cerebri præsertim nervorumque inimicissima sunt; noxas inde orituras egregie *Cel. Tissot* a) in præclaro libello de valetudine eruditorum, demonstravit. Phrenitides ab hac causa excitatas fuisse, plura apud casuum observatores exem-

pla

pla habemus. *Wepferus* b) historiam juvenis 22 annorum refert, qui immodicis studiis phreniticus factus plures homines vulnerabat, famulumque occidebat. Alium casum *Lietaud* c) narrat. Studiosus 25 annorum a protractis studiis in febrem acutam incidit, cum vehementissima cephalalgia. Quinto die phreniticus. Septima mors. Cadaver sectum exhibuit plexum choroideum sanguine turgentem, atque ipsos ventriculos aliasque cerebri partes serosis humoribus repletas.

a) Von der Gesundheit der Gelehrten.

b) Wepfer, observat. de affectib. capitis.

c) Lietaud histor. anatom. med. L. 14. observ. 164. T. II. p. 184.

Non infrequens etiam phrenitidis causa vis est externa capiti illata, qua cerebrum vehementer concutitur. Inferius de hac phrenitidis causa prolixius agam.

CAUSÆ ANTECEDENTES PHRENITIDIS VERÆ.

Præter causas prægressas, quæ excitandæ phrenitidi idoneæ habentur, varia sunt & veræ, & symptomaticæ phrenitidis, propria præludia, quæ medicum de instante hoc feroci morbo admonent.

Ca-

Calor dolorque ingens capitis: notat enim vaſa a ſanguinis inflammatoria denſitate immeabili diſtentis. Patet hinc ratio, quare *Hippocrates* a) capitis dolores intenſos & continuos cum febre damnaverit tanquam exitioſos: atque eosdem in febribus acutis, niſi ſalutaris narium hæmorrhagia ſuperveniret, phrenitidem pronuntiare monuerit. b)

a) Hippocrat. in Prognoſtic. Charter. V: VIII. p. 606. & 671.

b) Coac. praenot. N. 120. ibid. p. 868.

Sanguinis copia nimia. Scimus cerebri functiones vehementer a plethora turbari. Quæ omnia plurimum augentur, dum per febrilem calorem rarefactus ſanguis vaſa, quibus continetur, magis adhuc diſtendit: adeoque patet, quare plethora inter antecedentes phrenitidum cauſas merito numeretur.

Diſpoſitio inflammatoria. Hæc in illis hominibus obtinet imprimis, quibus vaſa robuſta & contracta; humores denſi ſunt, & acriores, & celerius moti. Pulſus his hominibus majores & crebriores eſſe ſolent; corpus gracile, agile, robuſtum, calidum. Duris laboribus quotidie exercitata corpora hanc diſpoſitionem acquirunt. Confirmatur

hæc

hæc diathefis, fi antea morbis acutis laboraverint.

Rubor oculorum, faciei. Defignat enim fanguinem majori copia & impetu ad caput deferri, adeoque & vafa magis diftendi.

Somni turbulenti. Si una cum fignis præcedentibus, quæ inflammatoriam fanguinis difpofitionem, ejusque majorem determinationem verfus caput defignant, oriatur moleftiffimus ille affectus, quem coma vigil vocare folent medici (quando nempe ipfo in fomni limine cum terrore mox evigilant ægri; vel fi obdormiverint, horrendis infomniis turbantur) novimus, jam affici cerebrum ob impeditum liberum tranfitum fanguinis per vafa, adeoque brevi phrenitidem, & alia peffima mala exfpectanda effe. Unde etiam *Hippocrates* a) fomnos profundos, non turbulentos, pro firmæ judicationis fignis habuit; contra vero turbulentos fomnos damnavit.

a) Hippocrat. Coac. prænot. N. 152. Chart. T. VIII. p. 860.

Defipientia levis. Levis defipientia dicitur, cum illas ideas ab interna & morbofa cerebri difpofitione natas non comitatur judicium, neque fequuntur validi animi affectus tunc enim ratiociniis & adftantium perfuafione

adhuc deleri poſſunt natæ hæ ideæ. Interim tamen, ſi pergant eædem cauſæ agere, facile patet, ferocis & perpetui delirii juſtum metum eſſe. Quandoque levis tantum deſipientia apparet, licet cauſæ ſenſorium commune mutantes ſatis validæ fuerint. Quales erant illæ tremulæ & obſcuræ deſipientiæ, quas *Hippocrates* valde phreniticas jure vocavit.

Protervia, ſeu ferocitas, oblivio ſubitanea, collectio floccorum. Omnia enim hæc deſignant, incipere turbari ſenſorium commune, atque imprimis ſumma ad hæc attentio requiritur, quia citam medelam poſcit hoc malum, antequam jam confirmatum fuerit. Unde ſimul ac meticuloſus antea homo audaciam ſpirat & minas, placidus antea, ferox reſponſum dat amicis vel medico, vel ſi potum, aliudve quid petens, paulo poſt immemor jam ſe hoc rogaſſe neget; dico, ſumma remedia adhibenda ſunt, ut iminens jam phrenitis caveatur.

Siccitas totius, maxime cerebri. Totum corpus humidum & molle in ſanis eſt, etiam in externa ſuperficie, multo magis in interioribus, uti docent vulnera in cava corporis penetrantia, & vivorum animalium

ſec-

ſectiones. Aequabilis autem hæc corporis humiditas pro optimis ſignis in morbis merito habetur, cum denotet, omnia vaſa pervia, omnesque humores meabiles eſſe. Contra vero, ubi exſiccatur corpus, novimus tenuiſſimi laticis penuriam eſſe, ſanguinemque immeabilem majora vaſa diſtendere; unde vicina minora comprimuntur. Cerebri autem talem ſiccitatem, adeoque humorum immeabilitatem in cerebri vaſis adeſſe, novimus ex ſiccitate vicinarum partium, quæ ab iisdem arteriis, ac encephalon, humores ſuos accipiunt. Hinc oris interni & linguæ ſiccitas, & vox clangoſa inde nata, illud demonſtrat. Unde aridam linguam pro phrenitidis ſigno habuit *Hippocrates*. Verum imprimis oculorum ſiccitas & ſqualor interiora capitis ſimiliter affecta eſſe indicant, cum & carotidis internæ rami per illos diſtribuantur. Patet hinc ratio, quare contractas, ſtrigoſas faucium partes in acutis, uti etiam, dum ægri, poſtquam hiaverint, difficulter os claudere poſſunt, deliria protendere, atque inde phreniticos factos perniciose habere dixerit *Hippocrates* a), omnia enim hæc ariditatem harum partium demonſtrant. Uti etiam, quare vocem clangoſam, & oculos ſordidos,

& pulverulentos, insaniam portendere, monuerit alibi. b)

a) Hippocrates Porrhetic. L. II. ext. I. Chart. II. VIII. p. 707.

b) — ibidem text. 17. p. 712.

Omnia autem illa signa, quæ phrenitidem veram præcedunt, pulcherrime collegit *Galenus* a), fassus: se illa ex antiquioribus medicis hausisse. Sic autem habet, nam interdum vigilias præcedere, sive etiam somnos manifestis phantasmatibus turbatos, ut & clament nonnulli, & exiliant, videre est; interdum vero irrationalis accedit oblivio, ut laborantes aliqui, quum matellam petierunt, mejere tamen negligant, aut cum lotium emittunt, matulam ipsam prodere haud quaquam meminerint; vel majori cum tumultu, aut temeritate respondeant, præsertim, ubi aliquis antea fuerit moderatus. At & hi omnes exiguo utuntur potu, & respiratio magna & rara est, & pulsus minores, magisque nervosos habent; nonnunquam occiput dolor infestat. Quum vero jam proxime ad phrenitidem accedunt, oculos habent vehementer squalidos, & ex altero ipsorum acris lachryma effunditur, ac deinde lemos habent, & venas ipsorum sanguine plenas, & sanguis

stil-

ſtillat e naribus. Quo tempore neque jam plane ut mentis compotes reſpondent, floccos avellunt, & feſtucas carpunt &c. Quid dicam de lingua aſpera, arida, quandoque hebetiori, tum quod interdum mœſti jaceant vix reſpondentes, vel cum pars quædam dolorificum patiatur affectum, etiamſi vehementius aliquis eam tangat, ipſi haud quaquam ſentiant. "

a) Galen. de locis affect. L. V. c. 14. Ch. T. VII. p. 489.

PRÆLUDIA PHRENITIDIS SYMPTOMATICÆ.

Obſervata practica teſtantur, natos in variis locis corporis dolores inflammatorios cum febre acuta, quandoque absque bonis ſignis evaneſcere, & dein periculoſiſſima metaſtaſi materiam morboſam verſus cerebrum derivari, ſicque phrenitidem ſymptomaticam facere. *Dolor artuum laterisque, velut a pleuritide rheumatica, & vaga.* Iſta enim *Stollius* multiplici obſervatione edoctus *Boerhavii* aphoriſmum 772. *Dolor lateris non pleuriticus &c.* immutavit. Sæpiſſime enim obſervatur in topica inflammatione viſcerum, mate-

materiam, quæ ad caput depositionem molitur, quamprimum mobilis fieri incipit, per proximas regiones prius vagari, atque inde non raro dolores lateris, rheumaticorum dolorum æmuli, originem trahunt. Notabile exemplum apud *Hippocratem* habetur. a) Calvo enim in Larissa derepente femur dextrum doluit; primo jam die febris acuta aderat. Secundo die femoris dolor quidem remisit, verum absque bonis signis; febris enim intendebatur, non dormiebat æger, extrema corporis frigebant &c. Tertio die femoris dolor cessavit, sed mentis alienatio, & multa jactatio accesserunt; quarto autem die circa meridiem celerrime periit. Similem casum vidit *Swietenius* b) in muliere, cui oborta febre continua accutissimus dolor sinistram suram occupabat; applicuerant autem lintea spiritu vini madida parti dolenti, & post bihorium, dolore suræ evanido, delirabat pessime; paulo post convulsa periit, secundo morbi die. In hominibus etiam sanissimis, absque ulla causa prægressa, nascitur quandoque febris, per quam in hac illave parte corporis excitatur subito phlegmone validissima, & deposita materia illa inflammatoria desinit febris; eventus au-

tem

tem ſimilium morborum pendet imprimis a parte affecta, quam per febrim depoſita materia occupat. Verum ſemel ſic in locum quemdam depoſita materia poteſt inde exire iterum, & ad alias corporis partes transferri. Sic eryſipelas ab intro foras vertitur. In anginæ hiſtoria patebit, levari morbum, dum pectus & collum rubeſcunt; perniciem certam inſtare, dum verſus interiora denuo recurrit ille rubor, uti etiam, ſi angina in pulmonem vertitur, ſicut *Hippocrates* obſervavit. Idem jam in pleuritide, peripneumonia, ſimilibusque fieri poterit, ut morbi illi absque bonis ſignis levari videantur, dum interim mala metaſtaſis cerebrum afficit. Memini, me quandoque talem pleuritidis epidemicæ ſpeciem vidiſſe, cui morbo, niſi ab initio jam balneis pedum, epiſpaſticis, ſitu corporis erecto &c. proſpiceretur, familiaris erat in phrenitidem primis etiam diebus mutatio. Imprimis autem illa proclivitas in phrenitidem obſervatur in illis morbis, in quibus inflammatoria quidem diſpoſitio manifeſta eſt, tamen non adeo pertinaciter parti cuidam corporis inhæret inflammatio, ſed magis quaſi vaga, & mobilis materies morbi videtur. Huc forte pertinet *dolor lateris*

non

non pleuriticus cum levi perturbatione animi, cujus *Hippocrates* meminit dicens; c) *cum lateris dolore, non tantum pleuritico, & turbulentibus tenuibus lenibus, hi phrenitici fiunt.* Turbulenta illa autem tenuia lenia satis apte videntur de leni perturbatione animi intelligi posse. Affinis etiam huic sententiæ locus apud *Hippocratem* habetur: *Lateris dolor ex sputis biliosis, si absque ratione evanuerit, in furorem aguntur.* Laterum enim dolores, ut pleuritici vocari possint, satis acuti, & punctorii esse debent, inspirationem prohibentes, una cum tussi fere perpetua; adeoque non repugnat laterum dolorem cum febre etiam absque pleuritide esse posse. Hinc etiam videtur *Hippocrates* d) dum hibernos morbos recenset, in eodem aphorismo, & pleuritides, & laterum dolores, enumerasse. Neque tantum in lateribus, sed etiam in aliis corporis locis, leviores tales dolores inflammatorii observantur, cum maxima propensione in phrenitidem symptomaticam. Sic testatur *Sydenhamus* e) se febrim quandam epidemicam observasse, in qua sanguis venis eductus pleuriticorum sanguinem non raro æmulabatur, atque sub primum morbi insultum dolor collum & fauces, sed levior, quam

in

in angina occupabat: tanta autem proclivitas in phrenesin erat in hac febre, ut quandoque sponte sua in hanc tenderet, vel saltem a regimine paulo calidiori, jugi in lecto decubitu, & similibus, certissime phrenitis accederet. Ubi notandum est, quod, uti in priori casu dolor lateris, sed non pleuriticus aderat, sic & hic dolor colli & faucium, sed levior, quam in angina, considerabatur.

a) Hipp. Epidem 3. ægrot. 5.
b) Slweten Commentar. T. II. p. 587.
c) Hipp. Coac. prænot. Nro. 411.
d) — aph. 3. sect. I. 3.
e) Sydenh. in schedul. monitor. p. 651.

Sequitur jam, ut consideremus illa signa, quæ docent, alios morbos in phrenitidem symptomaticam vergere:

Lingua nigra: pessimam enim humorum conditionem notat, præprimis si lingua nigra simul sicca sit.

Alvus suppressa. Inter signa materiæ phlogisticæ ab aliis visceribus ad encephalum ruentis, alvi & urinæ excretiones primum locum obtinent, & communia sunt omnis ad cerebrum vergentis metastaseos signa. Quodsi enim in febre inflammatoria, cum topica visceris alicujus inflammatione, alvus, & uri-

na, excretorum quantitate non morbo refpondeant, parcius nunc incipiant deponi, periculum imminet phrenitidis. Quotquot fere vidimus in fchola clinica depofitiones oriri, urinarum excretio, omnium primo de periculo nos admonuit. Urina autem vel omnino non fecernitur, aut in vefica retinetur, atque urinæ meteorismum producit, aut parca tantum copia excernitur, atque ad eam accedit indolem, quæ in fpasmodicis affectionibus obfervatur; nempe pallida, coloris expers, tenuisque; atque univerfim turbatum effe genus nervofum oftendit. Damnavit *Hippocrates* a) urinas albas & tenues, tanquam admodum vitiofas, & in phreniticis maxime tales urinas apparere dixit b), additque *Galenus* in commentariis in hunc aphorismum, fe nullum phreniticum fanatum vidiffe, qui talem urinam emififfet.

a) Hipp. in prognoft. chart. VIII. p. 633.
b) — aphor. 72.

Urina cum fufpenfo nigro. Et hæc urina paffim ab *Hippocrate* pro futuræ phrenitidis figno habita fuit, & generaliter nubeculæ nigræ urinis innatantes ab eodem damnatæ fuerunt. Incipientem humorum necrofin defignant.

A.

Ἀδιψία: quando nempe non fitiunt ægri, licet validæ fatis caufæ adfint in corpore; defignat ergo hoc fymptoma, turbari jam fenforium commune, neque amplius affici ab illis, quæ antea fitim faciebant. Ubi enim fitis minuitur, dum fimul linguæ major humiditas & alia bona figna, docent, morbum decrefcere, optimum fignum eft.

Ferocitas, rubor, pervigilium: omnia enim hæc denotant phrenitidis caufam vel jam adeffe in capite, vel brevi adfuturam.

Cutis ficca, ftrigofa, inperfpirabilis. Ubi enim alvi & urinæ libertas bona funt in morbis acutis præfagia, ita libera etiam perfpiratio, naturam in coctionis negotio nullis fpafticis affectionibus turbari, nos docet. Dum autem talia impedimenta objiciuntur, non alvus folum, atque urina, fed perfpiratio etiam intercipitur. Obfervatur perfæpe talis in fuperficie humani corporis ficcitas, ac fi cutis nunquam humoribus fuiffet humectata, ita exficca, atque corio fimillima apparet.

Fæces albæ. Alba alvi excrementa, & quidem fpeciatim in phreniticis, damnavit *Hippocrates.* a)

a) Porrhetic. L. 1. text. 13. T. VIII. Chart. p. 629.

Fe-

Respiratio cita, in morbis non pectoris. Malum etiam omen est cita respiratio; si enim ægri, nulla pulmonum inflammatione laborantes, citius respirant, ac pulsuum magnitudini & celeritati id respondet, phrenitici fiunt.

Deglutitio per vices læsa. Ad spasticas affectiones hæc observatio pertinet, solent enim subinde, priusquam phlogistica labes ad caput deponitur, impeditæ deglutionis signa edere, etsi nulla anginæ vestigia adsint.

Potu in nares regurgitante. Egregrie hanc deglutiendi potus difficultatem *Brendelius* a) exponit: „ Phrenitici brachypotæ sunt, ut ab *Hippocrate* b) *Aretæo* c) & *Tralliano* d) expressum est, quod per crebra intervalla exiguum quid magno labore bibant. Oblatum scilicet potum tremulis arripiunt manibus avidi quasi, a levandi saltem corporis motu anheli; subsultuoso manuum labore administris in admovendo ori vase subvenire student; pitissant potius, quam hauriunt, accepta buccis tenent, nondum deglutiunt, obluctantis causa spasmi strangulatorii, qui protinus impetum facit, utque videtur, perturbatis motibus laryngem atque pharyngem lacessit, neque deprimendæ continendæque epiglottidis justum tempus concedit. Inde perexiguumquid

mag-

magnoque connisu deglutiunt, a molienda deglutitione desistere vicissim coacti, dum in œsophago hæsitantibus aliis luctis succurrant. Præcipitius hausta, aut nimio labore acta, tussi, singultu, sternutationibus, quin vomitu per os naresque reddunt, qui nonnunquam alia trahit. Tantus degluciendi labor fractos dimittit, raucos, anhelosos, spiritum naribus eludentes, sudore perfusos, imo ad alvi vacuandæ stimulos, cum algore extremorum, & syncopes minis, augurio haud bono pervenit. Urgent hæc imprimis, multoque difficiliora sunt sub furoris paroxysmis, neque minus, cum imminent. Deglutioni huic spasticæ multum intercedit cognationis cum illa, quæ sub hydrophobiæ incrementis observatur: tribuenda omnino assentientibus clarissimis viris, non anginæ inflammatoriæ, aut vix rarissime, saltem a nobis in cadaveribus earum compluribus, humanoque uno non visæ; sed spasticis per nervorum sympathicorum commeatus originibus, ex visceribus abdominis, epigastricis potissimum pessime vitiatis. "

a) Brendel de phrenitide. Opuscul. T. III. p. 197.
b) Hipp. Coac. 1. 139.
c) Aretaeus de cur. acut. l. 1. c. 1. ad finem.
d) Trallian L. 1. c. 15.

Fer-

Ferocitas, rubor, vigiliæ &c. Omnia enim hæc denotant, phrenitidis causam jam adesse in capite, vel brevi adfuturam.

SYMPTOMATA PRÆSENTI UTRIQUE PHRENITIDI COMMUNIA.

Sive jam cerebrum primario affectum phrenitidem produxerit, sive malum aliunde in cerebrum delatum idem fecerit, illo tempore, dum morbosa talis causa cerebrum afficit, observantur quædam mutationes, & præcipue in illis functionibus, quas a cerebro pendere novimus, ex quibus diagnosis præsentis hujus morbi habetur. Talia autem sunt sequentia:

Idearum sensilium depravatio. In homine enim phenitico ideæ sensiles non a causa externa, ut in sanis hominibus, sed ab interna sensorii communis mutatione oriuntur. Qui canem se videre affirmat phreniticus, cane licet nullo ante ipsius oculos posito, a causa interna cerebrum mutante, ideam hanc accipit.

Sensuum internorum depravatio. Cum ægri eo jam sunt provecti, ut sibi conscii amplius non sint, ideas illas non ab externa cau-

sa,

ſa, ſed ab interno quodam ſtimulo fuiſſe productas. Manet enim ſubinde in phreniticis intimum illud mentis conſcium, & idearum quaſi fundus, æque bonum ac in aliis; nam ſi ſubitanei quid, & improviſi ipſis acciderit, pro momento bene reſpondent, paulo poſt deleta vivida hac impreſſione, relabuntur in eandem imaginationem.

Rationis & affectuum. Si æque vivida ſit illa impreſſio a cauſa interna, mutante commune ſenſorium, nata, ac fuit illa, quæ antea per ſenſuum organa ab objectis externis fiebat; comparatione facta inter hanc, quæ nunc ab interna cauſa, atque illam ideam, quæ alio tempore ab externa cauſa eſt producta, erroneum naſcitur judicium, id affirmans, ſimiles ideas a cauſis iisdem eſſe ortas, atque illarum idearum objecta revera extra ſe exiſtere. Quasdam ideas comitatur illud gratum vel ingratum, quod inevitabili neceſſitate rapit totam mentem, ut illud gratum faciat perennare, ingratum vero removeat, vel deſtruat. Singulares illos animi motus, ab hoc grato vel ingrato comitante natos, dixerunt animi affectus, vel pathemata.

Illos vero animi affectus sequuntur & corporis motus, per quos conatur homo illud displicens removere, vel destruere, illud placens retinere; hinc ubi delirantibus hominibus tales ideæ nascuntur, quæ validos animi affectus excitant, de lecto exsiliunt, adstantes lædunt, & summos corporis motus incredibili sæpe vi & diu faciunt, ut vel fugiant, quæ nocitura credunt, vel arripiant talia, quæ expetunt. "

a) Van Swieten Comment. T. II. p. 322.

Quamvis autem in phrenitide, turbato sensorio communi, innumeræ & diversissimæ inter se possint fieri cogitationum mutationes, frequentissime tamen contingit, ut consuetas artes, vel opificia peragere tentent ægri, absque ulla intermissione; vel si paulo ante morbum ingruentem aliquid ipsis contingerit, quod valide mentem affecerit, illius memoria renovatur continuo. Quotidianæ in praxi observationes hoc docent, & *Abderitarum* integram civitatem affligens morbus insigne hujus rei testimonium exhibet. Narrat enim *Lucianus*, celebrem Tragœdum *Archelaum*, media æstate, magno sub æstu, coram Abderitis Andromedæ fabulam egisse, multosque rediisse ex theatro febricitantes, ut postea

om-

omnes in tota civitate febre correptos fuisse & continua, & a primo statim die valida. Circa septimum autem diem quibusdam largam narium hæmorrhagiam, aliis copiosum sudorem, febrim solvisse. Ridicula autem perturbatio horum ægrotantium mentes obsidebat; omnes quippe tragœdiam agebant, jambos recitabant, & imprimis Euripidis Andromedam flebiliter canebant. Patet autem ex caussis hunc morbum prægressis, & ipsa morbi historia, vera phrenitide laborasse Abderitas, & tragœdiæ memoriam, quam tanto cum oblectamento audiverant, per morbum renovatam toto morbi tempore mansisse, atque uno cum morbo recessisse. Septimo enim die morbum solutum fuisse notat Lucianus, totamque civitatem *septimanis tragœdiis* plenam fuisse.

a) Lucianus: quomodo historia sit conscribenda.

2. Perpetuum delirium phrenitidem comitari superius dictum fuit: simul autem monitum fuit tunc, illud sæpe, tamen non semper, ferox esse. Ferocitas enim tunc adesse dicitur, quando ægri delirantes sibi aliisve nocere tentant. [Pro veris autem animi affectibus ideas, ex interna & morbosa sensorii communis mutatione natas, comitanti-

bus, hæc ferocitas adeſt, vel non. Sic enim ridiculum potius, quam ferox erat Abderitarum delirium: & in lethali phrenitide quandoque ægri floccos carpunt, feſtucas de pariete avellunt taciti ſæpe, vel admodum tranquille delirantes. Interim tamen ſemper magna cautela adhibenda eſt, quia & tacita illa, & tranquilla phreniticorum deliria ſubito quandoque in immanem furorem mutantur. Sic meminit *Swietenius* hortulanum tertia die phrenitidis veræ, in qua tacite tantum delirabat, & floccos carpebat, uno momento lecto exiliiſſe, & celerrimo curſu aſcendiſſe in ſuperiorem domus partem; deque feneſtra præcipitem ſe dediſſet miſer, niſi uxor advolans retinuiſſet; dumque illa cum marito luctatur, & vicinos in auxilium vocat, convellitur æger, & moritur ſubito.

Cum autem pervigilium leviſſimæ inflammationis cerebri prima initia pro ſua cauſa plerumque habeat, atque aucta hæc cauſa in coma ſæpe mutetur; patet facile ratio, quare inquies, vel & ſomni turbulenti phrenitidem toties comitentur. Auctas vero, has efferatque deſipientias Θηριωδεες *Hippocrates* a) vocavit, dum nec ratio, nec mi-

næ,

næ, nec pericula abſterrent miſeros, quo minus ſibi ſæpe, aliisque noceant.

a) Hipp. Praediction. L. I.

3. Enumerantur illa, quæ in vitalibus functionibus mutata in hoc morbo apparent. Pulſus autem durus fere in omnibus morbis inflammatoriis febrem acutam continuam comitem habentibus, obſervatur. Unde & durum, & nervoſum phreniticorum pulſum eſſe, monuit *Galenus.* a) Simul etiam ibidem notat, plurimas varietates in phreniticorum pulſibus obſervari. Hoc autem imprimis obtinere videtur morbo jam adulto.

a) Galen. de pulsib. ad tyrones. c. 12.

Reſpirationis etiam mutatio in phreniticis obſervatur; diu enim manent, antequam aërem hauriant, ſed tunc valide inſpirant, & exſpirant, atque iterum longo tempore morantur, antequam de novo reſpirant. Hæc eſt illa reſpiratio, quam *magnam, & longo temporis intervallo* factam vocat *Hippocrates* a), & delirium protendere monet; qualem etiam notat adfuiſſe in *Philiſco* b) qui deliravit cum febre acuta continua, & ſexta

die periit; uti & *Dealcis* uxore, quæ phrenitica mortua eſt. c)

a) Hipp. prognoſt. text. 24.
b) — Epid. 1. ægrot. 1.
c) — Epid. 3. ægrot. 13.

Faciem plerumque rubram &c. Omnia enim hæc ſigna notant, ſanguinem majori copia & impetu verſus caput tendere. Præterea dum inflammatio capitis interiora occupat liber tranſitus ſanguinis per vaſa impeditur, adeoque ſanguis per carotides pulſus, majori copia per externos illarum ramos diſtribuetur; unde facies vaſis ſanguineis diſtentis turgebit magis & rubebit; & quidem tanto magis quo difficilior fuerit per vaſa encephali humorum tranſitus. Patet hinc ratio, quare *Hippocrates* a) rubrum faciei colorem, & torvum illum vultum in ægris damnaverit, inprimis in acutis morbis. Stillicidium autem narium denotat pariter, ſic urgeri impetu & copia ſanguinis vaſa, ut ſolvi incipiant, & ſanguinem dimittere. Larga autem hæmorrhagia phrenitis præſens optime ſolvitur, & morbis acutis futura ſæpe præcavetur.

a) Hipp. Coac. praenot. N. 124.

PROGNOSIS.

Periculosissimum hunc morbum esse nemo dubitat; sed & sæpe cito lethalem, nisi subito efficacissimis remediis succuratur. Pro vario autem impetu, & diversa partis affectæ indole, citius, vel serius in mortem tendunt morbi. Confirmant hanc prognosin *Hippocratis* observata. *Philiscus*, a) quam tertia morbi die delirium cum febre acuta corripuit, narium stillicidium postea habuit, & respirationem magnam & raram (phreniti-dis signa) sexta morbi die periit. *Philistes b)* cui diuturno tempore caput doluerat, ex potibus febre continua correptus, & post doloris augmentum in capite, secundo die circa meridiem vehementer insanivit, quarto die jam convulsus, quinto die periit mane. Sic & aliam mulierem phreniticam septima die periisse monuit c) & ægrorum, qui primo morbi die jam phreniticus fuerat, quarto die obiisse notat. d) *Galenus* autem in commentariis suis in hunc textum modo dictam prognosin confirmat, omnes enim ab initio phreniticos ægros intra septimum diem mortuos esse, perpaucos hunc terminum superesse. Mirabatur autem maxime, optima sanitate hactenus fr uentes homines adeo

to

to invadere hunc morbum, tam cito lethalem: fuit autem in illa opinione, quod in tali casu vitiosus in corpore humor coacervatus fuerit, veneno lethali assimilis, in corporibus vicinis paulatim aliquid agens; quæ quando vitio jam aliquo modo opportuna erant, humorque ipse evaserat malignissimus, lethale subito apparuit symptoma.

a) Epid. 1. aegrot. 1.
b) — 3. aegrot. 4.
c) — aegrot. 11.
d) — aegrot. 4.

In phrenitide vero symptomatica, diutius quandoque morbus protrahitur. Sic enim *Apollonius* a) febre decumbens, cum hypochondrii dextri tumore dolente, postea phreniticus, periit trigesima quarta die. Ita etiam mulier gemellas partu enixa, nec bene purgata, decima septima die phrenitide mortua est. b) Uti etiam adolescens ex potu & venere multa decumbens die vigesimo quarto obiit phreniticus. c) Verum ex horum ægrotorum morbis descriptis apparet, alias corporis partes prius affectas fuisse, atque inde ad cerebrum delatum fuisse morbum.

a) Hipp. Epid. aegr. 23.
b) — — ibid.
c) — — ibid.

Ip-

Ipſam tamen ſymptomaticam phrenitidem ſatis cito lethalem quandoque eſſe, docet *Calvi* in *Lariſſa* hiſtoria a), cui femur dextrum derepente doluit, cum febre acuta ardente; tertio autem die femoris dolor ceſſavit, ſed mentis alienatio acceſſit, cum multa jactatione, & quarto die circa meridiem celerrime periit.

a) Ibidem. aegr. 5.

Duplici autem modo morbus hic acutiſſimus morte terminatur. Alius enim fatalis exitus mox in morbi initio, *morbi magnitudine*, alter autem ſerius contingit, lympha coagulabili, ſerove in cerebrum effuſis. Ut enim omnis inflammata pars tumet, inque majus volumen expanditur, ita cerebrum quoque vehementius inflammatum in magnam molem aſcenderet, niſi ſuos inter limites a theca oſſea cohiberetur. At eo vehementius a copia materiæ phlogiſticæ, & a humorum ad encephalon raptu cerebrum ubique premitur, gangræna ſæpe, ſphacelo corrumpitur, & ægri apoplectici, aut inter convulſiones ſubito moriuntur. Serius quandoque apoplexia, aut convulſio occidit, a lympha coagulabili, aut ſero copioſo in ventriculis collecto.

Sig-

Signa, quæ phlogisticum aut serosum ad encephalon decubitum instare, aut jam factum esse, notant, superius, cum de præludiis phrenitidis symptomaticæ agebatur, maximam partem exposui. Sunt autem potissimum parce alvi & urinæ excretiones. Deglutitio cum sonitu vel cum suffocationis metu. Sudor sæpe ab atonia universali, & varia spasticarum affectionum genera.

Frequens phrenitidis exitus in maniam observatur. Sæpe enim contingit in topicis viscerum inflammationibus, ut cessante jam febre, tumor nihilominus partis affectæ remaneat, ejus functionem impediens. Observatur id frequentissime in anginis, cum discussa jam inflammatione, major tamen tonsillarum moles permanet. Id etiam in phrenitide non raro contingit, ut membranæ cerebrum investientes, febre etiam sublata, præter naturam intumescant. Vidit *Stollius* in Nosocomio Trinitatis hominem, qui ex phrenitide maniacus factus, cum lucidiora essent intervalla, famuli munere fungebatur. Plures annos supervixit, acutissimo tandem morbo periit. Cadaver sectum, duras, crassasque, atque in plurimis locis firmiter sibi invicem adligatas membranas cerebri exhibuit.

Ta-

Tales casus se vidisse meminit *Swietenius*, a) ubi in febre non adeo valida inciperent, leviter desipere ægri, & paulo post febre cessante penitus, immaniter furebant per plures sæpe dies, imo & septimanas, sic ut vinculis coërceri debuerint. Illa autem, quæ *Sydenhamus* notavit, hanc rem pulchre confirmant. Dum enim novam febris speciem describit, b) inter alia monet, sanguinem venæ sectione eductum pleuriticorum sanguini in his ægris similem fuisse; quandoque collum & fauces dolorem, sed leviorem, quam in angina, occupasse, aliquando vero successisse eruptiones cutaneas, morbilis non multum dissimiles, nisi quod ruberent magis, neque desquammaretur epidermis, dum recederent. Imprimis autem notat, maxime in phrenitidem proclivem fuisse hunc morbum, & caput petiisse, atque ubi jam caput occupávit febris, & phrenesis semel invaluit, nulla restare febris indicia, nisi quod pulsus nunc citior est, nunc tardior. Idem autem fiebat, dum coma huic febri superveniebat; præter enim linguæ albedinem nulla aderant febris signa, atque ægri perfectissima apyrexia frui videbantur. Patet ergo phrenitidem in maniam abire quandoque, sed tamen in similibus

libus morbis, cum esset impetus febrilis, atque levior tantum inflammatio vel lene erysipelas capitis interiora obsideat, sæpissime evadunt ægri, & postquam integre restituuntur modo post evacuationes generales per venæ sectionem & purgationem factas, tota res naturæ & tempori committatur, ut *Sydenhamus* optime monuit.

a) Swieten. Comment. T. II. p. 596.
b) Sydenham. in Schedul. monitor.

At persæpe phrenitici per omnem vitam maniaci manent, nullis remediis curandi. Atque ex narratione medici, qui maniacis olim non paucis medebatur, collegit *Stollius* a), plerosque maniacos initio phreniticos fuisse, utut ob febrim obscuriorem, (si febrium notas ex pulsu fere solo capiamus) jam inde a morbi principio maniaci viverentur, & febris expertes.

a) Stoll rat. med. p. 198.

Paulisper ascendens immanis fit. Hippocraticum monitum est, & summi quidem momenti, ut hoc ductus medicus efficacissimam statim medelam adhibeat, simulque caveat, ne sibi aliisve nocere possint tales ægri. Sic autem habet: *Quæ sensim feroces fiunt desi-*

pien-

pientiæ, ferinæ sunt, sed & convulsiones prænuntiant. a)

a) Hipp. Coac. prænot. Nro. 87.

Sæpe desinit in lethargum, coma, catochen. Turbato sensorio communi variæ oriuntur affectiones, quibus id est commune, nervorum functionem, atque motus facultatem vario modo impediri. Quamvis enim *Lethargi* vox inertem tantum oblivionem denotet, seu somnum difficilem excutiendum, cum pallore, & tumore flatulento, atonia, atque morbus ad apoplexiam frigidam referendus sit; interim tamen, si similis somnolentia phrenitidem sequatur, imprimis cum notabili febrilis impetus diminutione, absque resolutionis signis, solet & tale symptoma hoc nomine vocari, *Galenus* a) de pulsuum diversitate in morbis agens talem affectum descripsit; quem proprio nomine carere dixit, & de quo dubitat, an medius inter phrenitidem & lethargum vocandus foret, an vero ex phrenitide & lethargo mistus dicendus esset: in quo affectu ægri connivent ut plurimum oculis, somnolenti sunt, atque stertunt. Rursus oculis fixis, ac inconniventibus diutissime, ut catoche laborantes, intuentur. Et

si

ſi quid roges, atque ad colloquium compellas, difficiles ſunt ad reſpondendum & tardi. Plerumque enim ſtulte loquuntur, nec recte reſpondent, at temere negantur. Apparet ſatis, aptiſſime hæc phœnomena convenire illis, quæ modo dicta fuerunt, præcipue cum ſubjungat *Galenus*, quod in his pulſus celeres ſunt & cerebri, perinde ut phreniticorum, minus tamen & roboris item minus ac illi obtinent.

a) Galenus de pulſib. ad tyron. c. 12.

Sequuntur jam illa ſigna, quæ in phrenitide ſummum periculum & mortem deſignant.

Vomitus æruginoſus: *in capitis doloribus æruginoſi vomitus cum ſurditate & pervigilio, cito vehementer inſanire faciunt. a)* Hiſtoriæ autem ægrotorum ab *Hippocrate* in Epidemicorum libris conſcriptæ funeſtos eventus vomitus talis probant. Sic enim *Philiſtes b)* primo die morbi æruginoſa multa vomuit; ſecundo die vehementer inſanivit: quarto die convulſus fuit, quinto die periit. Alter autem phreniticus c) prima die æruginoſa multa tenuia vomuit, & multum deliravit, ſecundo die palpitationes per totum corpus,

&

& nocte sequente convulsiones adfuerunt. Quarto die obiit.

a) Hipp.

b) — Epid. 3. ægrot. 4.

c) — — ægrot. 4.

Sputatio frequens & indecora in adstantes Screatus frequens, si sane & aliud quoddam signum adfuerit, phreniticum. a) Merito etiam pro axiomate *Jacotius* posuit c): omnes actiones voluntarias, quæ præter modum ac decorum vel deficiunt, vel exsuperant, phrenitidis esse signa.

a) Hipp. Porrhet. L. I. text. 6.

b) Iacot & Holler Comment. in Coac. Hippocrat. 519.

Tremor, phreniticæ vehementer affectiones tremulæ desinunt. a) Quod autem hic non intelligatur vehementem phrenitidem cessare tremoribus obortis, satis patet ex alio loco *Hippocratis.* b) ubi in vehementi phrenitide tremores damnantur, tanquam lethales.

a) *Hipp.* porrhet. L. *I.*

c) — prædict. L. I. text. 33.

Fæx alvi & urina intercepta vel alba; supra notatum est, quantum periculi immineat præsente hoc signo.

Oculi pulverulenti. Oculi ut valent, ita totum corpus. a) Pessimum ergo signum in morbis est, ubi depravatur naturalis ille oculorum nitor, & splendor, qui ab æquabili vasorum impletione, & assidua tenuissimæ lymphæ irroratione, qua oculi detergentur, pendet. Unde in moribundis sicci, squalidi, & pulverulenti apparent. Unde *Hippocrates* b) pro malis & perniciosis signis habuit; si oculi pervertantur, aut alter altero minor sit, vel alba fuerint rubra aut livida, vel venulæ nigræ in illis sint, aut sordes circa oculos appareant, aut sublimiores, vel prominentes, vel admodum cavifacti, vel supercilia curva, aut rigida maculosa aut visus squalidus, & sine splendore similia & in coacis c) habentur; ubi additu, si circa oculos tenuem concretionem albam habeant, qualis pellicula ab inspissatis & collectis humoribus nata visum obscurans in moribundis sæpe apparet.

a) Hipp. Epid. 6.
b) — — Prognost. 10.
c) — — — — N. 219.

Dentium stridor. Quibusdam hominibus familiaris est ille dentium stridor, dum dormiunt. Ceteroquin involuntarium, & convul-

vulſivum motum muſculorum maxillas moventium ſignificat, adeoque merito mali ominis in morbis habetur. Sollicite hinc monuit *Hippocrates* a), *dentium ſtridorem portendere inſaniam, & mortem, niſi quis a puero conſueverit, ſi vero etiam delirans hoc agat, jam valde perniciosum eſt.*

a) *Hipp.* in Prognoſt. T. VIII. p. 604.

Permutatio ſymptomatum perpetua. Nata inflammatione in capitis interioribus diverſiſſima excitantur ſymptomata, prout variæ nervorum origines ſic afficiuntur. Sic mira phantasmata delirantium oculis occurunt, ſonorum ingens varietas auribus percipitur, odorum, ſaporum &c. Ubi ergo perpetua horum ſymptomatum permutatio eſt, novimus magis magisque turbari ſenſorium commune, & ad alias partes cerebri propagari malum. Patet hinc ratio, quare *Hippocrates* dixerit: *in phrenitide ab initio moderatum eſſe, ſed crebro permutari, malum id eſt:* a) & paulo poſt: *crebræ in phreniticis permutationes convulſivæ.* Atque ideo *Galenus* in commentariis ſuis in hunc textum dicit: *vere igitur in cerebro ipſo transfluxio eſt, alias in aliqua ipſius parte orta, ſpeciem quidem affectionis ſervans, ſed pro parte affecta*

ſym-

ſymptomata ipſa permutans. Teſtatur autem *Galenus*, ſe vidiſſe ſæpenumero tales phreniticos, ſemper quidem delirantes, ſed variatis ſecundum omnium functionum animalium genera modis. Nunc enim excandescebant ira, paulo poſt lætabantur; nunc audaciſſimi adſtantes invadebant, mox perterriti &c.

a) Hipp. porrhetc. L. I.

Ulceris tumentis ſubſidentia. *Hippocrates* in prognoſticis enumerans illa, ad quæ medicum attendere oportet, ut futura in morbis prævideat, monet conſiderandum eſſe, an forte æger ulcus habeat ante morbum, vel in ipſo morbo natum; ſi enim illud ulcus ſiccum fiat, cum livido vel pallido colore, moriturum hominem præſagiebat.

A peripneumonia lethali. A peripneumonia phrenitis malum. a) Atque alibi, b) manum ante faciem tollere, muſcas inani opera captare, feſtucas carpere, floccos avellere, (quæ omnia phrenitidis ſigna eſſe, antea vidimus) tanquam mala & mortifera damnavit in peripneumonia.

a) Hipp. aph. 12. ſect. VII.

b) — prognoſt. T. VIII. p. 606.

A

A variolis mala admodum. Dum antequam variolæ erumpunt, febris valida delirium aut phrenitidem fecerit, nunquam quidem periculo caret; tamen magna ſpes eſt, erumpentibus variolis una cum reliquis ſymptomatibus & hoc ceſſaturum. Ubi vero poſt variolarum eruptionem manet ferox & perpetuum delirium, vel naſcitur, major metus eſt, quia tunc ſuſpicio eſt, puſtulas varioloſas capitis interiora obſidere. Quando autem in confluentibus variolis, a reſorpto gangrænoſo fere tabo, putridiſſima, & acutiſſima febris accenditur, & phrenitidem facit, facile patet, tenerrima cerebri vaſa liquidis acribus putridis, rapido motu agitatis, brevi deſtruenda eſſe, adeoque nullam ſpem ſupereſſe.

Ab ileo lethalis. Nunquam enim in tantam ſævitiem morbus ille evehitur, quin brevi poſt lethalis gangræna ſequatur, omni dolore ſubito ceſſante, & delirantibus plerumque ægris. Unde & *Hippocrates* a) dixit *ab ileo vomitus, vel ſingultus, vel convulſio, vel deſipientia malum.*

a) Hipp. aph. 10. ſect. VII.

Inflammatio pauliſper fixa &c. Obſervaverat aliquoties tales caſus *Boerhavius*, in

quibus poſt leviorem anginam, absque bonis ſignis evaneſcentem, lethalis phrenitis naſcebatur, dum mala metaſtaſi inflammatio faucium caput peteret, atque inde hanc prógnoſin fecit; cujus tamen & apud *Hippocratem* non obſcura veſtigia inveniuntur, ſic enim habet: a) *in acutis circa fauces dolentia, contracta, parva, ſuffocantia. Quum biaverit, non facile os cogere & concludere poſſe, delirium portendit; ex his phrenitici, & periculoſi* laborant. Et in coacis prænotionibus, ſequentia habet: b) *Fauces modice exaſperatæ, & alvus vanis conatibus nitens, frontis dolores, ægri pulſantes cum dolore; quæ ex his angeſcunt, difficilia.* Et alibi c) *In angina absque ſignis, dolores ad caput cum febre pernicioſi.* Talibus autem ægris delirium continuum cum *ſtudio* naſcebatur, quod *Hippocrates* longe periculoſius dixit illo, quod cum cum *riſu* fit, quia hoc ſummopere defatigantur ægri. Sic vidit *Boerhavius* nobilem virginem, quæ die nocteque filum per acus foramen transmittere conabatur, donec deficeret. Alia ægra absque ulla intermiſſione nodos nectebat. Similes plures caſus vidi, ubi ad mortem usque laborioſi ſemper ægri ſumma attentio-

tione exercitata in ſanitate opificia tentabant.

a) Hipp. porrhet. L. 1. text. II. T. VIII. p. 707.
b) — ibidem p. 860.
c) — ibidem p. 872.

Quæ verſatur circa neceſſaria peſſima. Hæc prægnoſis in coacis prænotionibus habetur. a) Neceſſaria autem vocantur illa, quæ ad ſuſtinendam vitam, & curandum periculoſum hunc morbum, abſolute requiruntur. Sic ſi inſidiarum metu tales ægri ſomno abſtineant, tenebricoſo in loco tegere nolint, omnem cibum potumque reſpuant, venenum ipſis propinandum ſuſpicari &c., ſatis patet, omnia neceſſario in pejus ruere debere. Hanc phrenitidis ſpeciem videtur indigitaſſe *Hippocrates* b), dum dicit: ex phrenitide ita pereunt. In hoc morbo perpetuo delirant, cum nimirum ſanguis corruptus, & extra conſuetam agitationem motus ſit. Quumque deſipiant, nihil quidquam effatu dignum eorum, quæ offeruntur, accipiunt. Procedente vero tempore marceſcunt, tum a febre, tum quod nihil alantur.

a) Hipp. Coac. N. 100. T. VIII. p. 857.
b) — de morb. L. I. T. VII. p. 549.

EXSTISPICIA.

Nihil magis promovet artem, quam si in morbo quodam, toto decursu sollicite observato, post mortem in defunctorum cadaveribus indagetur, quæ partes affectæ fuerint, & quænam in illis mutationes contigerint. Sic enim optime detegitur, an in diagnosi, prognosi; in curatione morbi erratum fuerit, nec ne. Constitit autem ex observationibus plurimis optimorum medicorum in cadaveribus phrenitide defunctorum apparuisse talia indicia, quæ inflammationem prægressam docerent manifeste. Virgo acuta febre decumbens, cum perpetuo delirio, & satis feroci quidem, in nosocomium deferebatur, atque post biduum moriebatur. Defunctæ cranio aperto ostendit *Boerhavius* auditoribus suis tenuem meningem cerebri totam rubentem, & inflammatam, imo & ipse cortex cerebri, qui naturaliter griseum colorem præsefert, adeo rubescebat, ac si arte anatomica repleta fuissent rubra materie ejus vasa. Si jam conferantur illa, quæ apud *Bonetum in sepulchreto anatomico*, aliosque observatores habentur, pluribus exemplis constabit, suppurationem, gangrænam, sphacelum,

oelum, inflammationibus validæ non resolutæ consuetos exitus, in phrenitide mortuorum cadaveribus deprehensa fuisse. Imo & quandoque contingit, cerebri membranas, imprimis in hominibus sæpius hunc morbum passis, crassas, duras, & quasi subscirrhosas fuisse. Sic in homine, qui bienni spatio phrenitidem aliquoties passus fuerat, inventa fuit dura mater cranio fortissime adhærens, longe crassior, & firmior solito, ejusque processus falciformis fere in tota sui longitudine osseus apparebat. Pia mater colore & firmitate similis erat duræ matri in sanis hominibus, facillime secedebat ubique, a cerebro supposito, numerosissimis vasis sanguine repletissimis conspicuis. Cerebrum ipsum longe siccius & firmius erat solito; in cerebri ventriculis tamen seri copia reperiebatur.

a) Academ. des sciences. l'an 1706. mem. p. 662 — 63.

NATURÆ MOLIMINA IN SANANDA PHENITIDE.

Hoc fuit veterum medicorum institutum, ut sollicite notarent illa, quæ in morbis contingebant; sicque discerent fideli ob-

ser-

fervatione, quibus modis morbi in falutem vel interitum tenderent, ut poftea priora promovere, pofteriora impedire vel mutare, idonea medela poffent. Unde *Hippocrates* adeo operofus fuit in femiotica parte medicinæ, atque falutarem artem tot regulis practicis, plurium fæculorum communi fuffragio probatis, nobilitavit & auxit; quas tamen ex morborum obfervatione collegiffe videtur, uti apparebit unicuique, qui aphorismos cum illis contulerit, quæ in epidemicorum libris habentur. Imo hanc fuiffe medicæ artis originem optime notavit *Celfus* a), ubi de variis medicorum fectis agit: *non enim poft curationem medicina inventa eft, fed poft inventam medicinam ratio quæfita eft.* Inter recentiores medicos, *Sydenhamus,* eandem methodum fecutus, plus promovit medicinam *folus*, quam ante illum *numerofiffimi* alii, fubtiliffimis fpeculationibus indulgentes, & caufas morborum latentiffimas a priori explicare conati. Fatetur autem fummus ille in arte medica vir, quod dum morborum genio cognofcendo incumberet, quidam perierint ægri, quibus fuccurri potuiffet, fi genuinam curandi hos morbos methodum noviffet prius: verum hoc inevitabile

bile

bile eſt, & neminem latet, *ſic medicinam ortam fuiſſe, ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitu, perniciofa diſcernentem a ſalutaribus.* b) Neque has calamitates evitant illi, qui vanis, licet ſpecioſis hypotheſibus freti, medendi methodum in morbis fingunt, dum interim, neglecta morborum attenta obſervatione, in eodem ſemper luto hærent, neque poſt plurimos funeſtos eventus magis proſunt ægris ſuis, quam antea.

a) Celſus in praefat.

b) — Ibidem.

Antequam ergo de curatione phrenitidis dicatur, operæ pretium erit videre, quænam profuiſſe in hoc morbo fidelia obſervata docuerint.

Varices. Tantam ſpem in varicibus poſuit *Hippocrates*, ut maniæ a) ipſius ſolutionem ab iis ſperaverit. Venis enim crurum varicoſis, copia ſanguinis in his retinetur, minus ſanguinis ad cor redit, tantoque minus implentur vaſa ſuperiora.

a) Hippocrates aph. 21, ſect. VI.

Hæmorrhoides fluentes. Notum eſt, pluribus hominibus conſuetum eſſe, ut bis in anno, quibusdam longe ſæpius, hac via ſanguis

gnis evacuetur. Si autem circa illud tempus, quo hæmorrhoides ipsis fluere solent, non fiat hæc evacuatio, plerumque vertigine, aurium tinnitu, similibusque symptomatibus affliguntur, quæ leviorem cerebri affectionem docent: quin imo historia medica docet, epilepsiam, maniam, & lethalem apoplexiam successisse, dum consuetus sanguinis per hæmorrhoides fluxus, sponte vel imprudenti medela, intercipiebatur. Sic *Alcippus hæmorrhoides habens, curari prohibebatur: curatus vero mania correptus fuit.* a) Contra vere apoplexiæ aut maniæ hæmorrhoides succedere, bonum esse dixit *Hippocrates*, morbosque illos hac via solvi monuit. Ex quibus omnibus patet, quantum boni in capitis morbis ab hæmorrhoidibus fluentibus exspectari possit.

a) Hipp. Epidem. 4. T. IX. p. 381.

Alvi fluor: in hoc morbo non tantum prodest alvi fluor, quatenus morbosam materiam evacuat, verum etiam dum humoribus huc ruentibus viscerum abdominalium vasa deplentur, & sanguine impulso minus resistunt, impetus & copia humorum pulcherrime a capite avertitur, quod magni momenti est in curatione phrenitidis.

Do-

Dolor ad pectus, artusque. Quando de phrenitide ſymptomatica agebatur, notatum fuit, certiſſimis conſtare obſervationibus, inflammationem in certa quadam corporis parte, etiam remotiſſima a capite natam, poſſe periculoſa metaſtaſi caput petere, priori loco relicto; atque tunc recenſita fuerunt illa ſigna, quæ docebant, tale malum metuendum eſſe. Nemini ergo mirum videbitur, quandoque & a capite metaſtaſin fieri verſus alias partes, cum inſigni ſæpe levamine periculoſi hujus morbi, præcipue ſi non ad viſcera alia, ſed ad artus derivatio fiat. Ita in *Herophonte*, a) quem præter exſpectationem a periculoſiſſimo morbo evaſiſſe teſtatur *Hippocrates*, aderant vigiliæ, quinta morbi die ſurditas, ſexta die delirium. Verum octava die doluit inguen, dein ad utramque tibiam dolores acceſſerunt, ſed & prorſus reſipuit æger, nox toleratu facilis fuit, & urinæ, quæ antea tenues & nigræ fuerunt, melius coloratæ erant, & aliquid ſedimenti habebant. Poſtquam autem nona die imperfecta criſi judicatus fuerat, poſt quinque dies rediit febris acuta cum ſurditate; verum tertia poſt recidivam die crura dolor invaſit cum ſurditatis imminutione. Ita etiam in virgine, quæ *Abderæ* in-

tem.

templi veſtibulo decumbebat, ſurditate & delirio in febre acuta laborante, notatur, quod vigeſimo die morbi pedum dolor ortus fuerit; ſed & ſimul ſurditas, & delirium ceſſabant; monetque, quod poſtquam in omnibus perfecte eſſet judicata ægra, pedum ille dolor adhuc remanſerit. b)

a) Hipp. Epid. 1. ægrot. 3.

b) — — Epid. 3. ægrot. 7.

Hæmorrhagia ſubinde inflammatorios morbos judicari, præſertim ſi a conſuetis, iisque ſuppreſſis ſanguinis evacuationibus ortum duxerint, ſupra dictum eſt. Contingit id etiam in phrenitide, & larga narium hæmorrhagia morbi vehementia frangitur. Auſus fuit *Zacutus Luſitanus* a) artificioſam talem evacuationem inſtituere, dum belli ducem juvenem & quadratum, ac ſanguine turgentem curabat, valide laborantem phrenitide. Juſſit enim cuidam ex adſtantibus, qui ſuavi cantu ferocientem mulcebat ægrum, ut pennam ad radicem multum fiſſam nari intruderet, ac fortiter circumduceret, quo facto copioſiſſima facta fuit ex nare dextra hæmorrhagia, tam fauſto cum effectu, ut a periculoſo morbo convaleſceret æger, ſuccedente poſtea ſudore & alvi fluxu.

a) Zacutus Luſitan. Obſerv. 12. p. 22.

CURA PHRENITIDIS.

Acutiſſimo huic morbo, phrenitidi feſtinanter ſubveniendum eſt, ne arte ſuperius malum repente fiat. Ad hæc autem redit omnis curatio, ut & continuæ inflammatoriæ febri, & inflammationi nobiliſſimi viſceris medearis. Quænam remedia inflammationem univerſim ſpectant, in cura ſynochi imputris expoſui, ut de iis tantum ſermo nunc ſit habendus, quo modo generalibus his præſidiis ob viſceris inflammati diverſitatem uti oporteat.

Primum & maximum in phrenitidis veræ curatione *ſanguinis miſſio* habetur. Debet eſſe larga, & ex amplo vulnere, ut ſanguine prima vice largius educto, humorum verſus encephalum raptus & plurimum infringatur, & rarior repetendæ venæ ſectionis poſtmodum ſit neceſſitas; neque tamen ad animi deliquium usque ſanguinis mittendi audacia probatur. Ex ſymptomatum ferocitate, atque inflammationis ſignis auctis aut imminutis, repetendæ venæ ſectionis indicia colligere oportet. Præſtat venam in brachio ſecare; quamvis alii in pede, alii in jugulo, imo in fronte, ut *Trallianus*, ſoleant inſtituere.

Mag-

Magnum citumqne levamen adferunt sanguisugæ ad tempora, retro aures applicatæ, præmissa phlebotomia. Id etiam commodi habet hic sanguinem demendi modus, ut in infantibus puerisque tuto fieri possit. Insigne exemplum phrenitidis in puero 11 annorum sanatæ, cl. Medicus memorat: „ Mense februario 1762. puer 11 annorum phrenitide corripitur; delirium ferox, floccorum collectio. 4. morbi die circa vesperam cl. Medicus vocatus est. Pulsus durus, plenus, vibrans. Ingens calor corporis, intensus genarum rubor. Lingua dentesque fusco glutine obducti; lingua arida, fissa. Delirium assiduum; responsum ferox, se bene habere. Remedia refrigerantia, clysmata, atque quarta die mane vesicatoria ad suras; venæ sectionem institui mater noluit. Sanguinem mox e brachio educi jussit *Medicus*; crusta phlogistica, bile tincta. Hora post venæ sectionem enemate domestico alvus sollicitata fœces copiosas, atque vermes una deposuit. Vesicæ a cantharidibus applicatis paucum serum continentes. Emulsio refrigerans, & decoctum hordei; at irrito effectu. 5. die mane assiduum feroxque delirium; floccorum collectio; pallor nunc faciei; noctu, per vices stri-

ſtridor dentium, & ſputatio indecora. Præſcribitur decoctum corticis peruviani cum nitro & cremore tartari. Morbi ab hoc remedio augmentum potius quam lenimen. Verſus meridiem enim vox tremula; pulſus omni modo inæqualis; facies Hippocratica. Rebus his vix non conclamatis, hora a meridie tertia, hirudines ſex retro dextram aurem; raſio capitis; & grana laudani liquidi Sydenhami, & totidem liquoris mineralis Hoffmanni propinata. Utprimum ſugere incepere hirudines, tranquilla continuo vox, iisque deciduis, ceſſabat delirium. Retro ſiniſtram nunc etiam aurem ſanguiſugæ applicabantur, iisque adhuc ſanguinem trahentibus, in ſomnum delapſus eſt puer, reliquam veſperam, noctemque ſomno tranſegit, per vices tamen expergefactus ſibi conſtans, potum expetens, Sequenti mane lecto exemptus æger, in proximum cubile deportatus, ut interim ſtragula mutarentur, atque aërem renovandi occaſio fieret. Æger dein, reliquis capillis abraſis, occipite, facie, manibus, tepida ablutis, locis retro aures a ſanguine grumoſo liberatis, induſio probe calefacto indutus, in lectum mittebatur. De ſumma virium debilitate conqueſtus, in ſom-

num

num mox iterum relapſus. Brevi dein tempore perfecte convaluit.

a) Cl. Medicus Beobacht. a. d. Arzneywiſſenſchaft. l. 2. p. 471.

Aliam ſanguinem probe locum adfectum evacuandi methodum ſcarificatio, eaque cruenta, nuchæ, ſuppeditat, noſtris temporibus vix non penitus neglecta. Atque optandum omnino eſſet, ut utiliſſima hæc operatio in novos uſus iterum vocaretur.

Potus præcipue antiphogiſtici, addito nitro, magna ſenſim copia ingerendi, ſumma neceſſitas; at maxime cavendum, ne vitreis aut fictilibus vaſis potum exhibeamus, ne furens æger ea dentibus in fruſta comminuat, atque deglutiendo aut vulnerando fauces, ſibi vim inferat.

Huc etiam clyſmatum emollientium uſus redit, laxando enim vaſa inteſtinorum, impetum & copiam humorum a capite revellunt.

Si ægri ab hæmorrhoidibus olim tumentibus, poſthac autem evanidis, in phrenitidem incidunt, optimo ſæpe cum eventu ad anum hirudines applicantur, cum natura ipſa hac via ſæpe phrenitidem ſanaverit; eo magis hac via ſanguinem educimus, ſi hæ-

morr-

morrhoides iterum tumeant; totiusque longe hæmorrhoides fluentes ſanguiſugis, quam aſperis foliis ficus fricando, in fluentes mutamus.

Caput radendum. Abraſis enim capillis tota capitis cutis maxime perſpirabilis redditur; quem effectum a capitis raſione in phrenitide exſpectaſſe videtur *Cælius Aurelianus.* a) Gratum certe refrigerium ſic conciliatur, & inſignem quandam mutationem percipere ſolent ægri; & quidem tantam, ut ab illa aliquid metuiſſe videatur *Aretæus* b), dum monuit, ſi longiſſimæ crines fuerint, dimidios primum reſcindendos eſſe, ſi vero breviores, tunc ad cutem tunderi poſſe. *Sydenhami* c) tamen obſervatis conſtat, nullum in hac re diſcrimen eſſe, & teſtatur, ſe ſemper hoc præcepiſſe, & quidem pulcherrimo cum ſucceſſu. Abraſis autem capillis, pileolo impoſito, caput a frigore externo punivit, monetque ſe nullum emplaſtrum raſo capiti applicuiſſe; quidam enim hoc commendant, ſed oleoſa omnia & pinguia cuti adhærentia perſpirationem minuunt, quæ hoc in caſu liberrima requiritur. Capitis raſionem *Celſus* d) pariter in phrenitidis curatione commendavit. Patet autem ſatis diffi-

cil.

cillimum hoc factu sæpe esse, dum ægri pessime fuerunt; adeoque præstaret hoc jam facere, dum signa docent, phenitidem metuendam esse.

a) Cælius. Aurelian. Acut. morb. L. I. c. 10.
b) Aretaeus de curat. morb. acut. L. I. c. 1.
c) Sydenham in schedul. monit.
d) Celsus L. III. c. 18.

Pediluvia, epispastica &c. Omnibus enim his laxantur vasa partium inferiorum.

Corpus moderato frigore reficiendum, & erectum tenendum. Erectus corporis situs facit, ut non adeo impetuose sanguis caput urgeat. Videmus etiam sanis hominibus, dum per aliquod horas horizontali corporis situ in lecto decubuerunt, caput tumere; qui tumor brevi evanescere solet, dum per aliquod tempus erectus situs corporis fuit. Sæpe contingit, phreniticos pessime furentes, dum lecto incarcerantur, placidos penitus reddi, dum erecto corpore, modice tantum vestibus tecto, in sedili sedent. Tanti autem fecit hoc ægrorum regimen *Sydenhamus*, ut passim in suis operibus ubique inculcaverit, in morbis acutis inflammatoriis curationis totam felicitatem inde pendere; & in ultimis suis scriptis, quæ ingravescente jam

æta-

ætate edidit, ulterius confirmavit, & imprimis quidem in phrenitide hoc necessarium dixit. a) „Hoc enim in statu, quamtumlibet sanguis detrahatur, quantumvis leviter tegatur corpus, quicunque demum liquores refrigerantes ingerantur, non prius sedabitur febris, quam æger se lectulo interdiu abstinuerit. Cum calor circumambientis aëris inter stragula conclusi sanguinem plus satis exagitet, & procumbentis corporis situs vehementiori impetu eundem in caput impingat.„

a) Sydemham in schedulâ monitoriâ.

METHODUS MEDENDI PHRENITIDI SYMPTOMATICÆ.

Eodem plerumque remediorum apparatu, quo genuinam phrenitidem curari diximus, etiam symptomaticæ phrenitidi medemur, habita tamen potissimum attentione ad morbum prægressum, ex quo inflammatoria hæc cerebri affectio ortum duxit. Maximi momenti in praxi hoc monitum est. Uti nempe statim vidimus, phrenitidis veræ curatio largam venæ sectionem, & repetendam quandoque audacter postulat. Ve-

rum non omnibus morbis acutis hæc curatio prodest; & quandoque observantur febres epidemicæ, inflammatoriæ quamvis, quæ repetitam venæ sectionem non ferunt absque noxa, quin etiam constitit in talibus febribus, nequidem phrenitidi symptomaticæ per validas, & repetitas venæ sectiones succurri posse; sed sensim postea una cum morbo principe evanescere hoc symptoma. Tales erant febres epidemicæ continuæ a *Sydenhamo* a) descriptæ, quæ annis 1674—75 Londini grassabantur. Quamvis enim atrox capitis dolor, & laterum dolores frequentes in his febribus, sanguisque eductus pleuriticorum similis cruori, docerent satis, non mediocrem inflammationem his febribus subesse, observavit tamen *Sydenhamus*, quod repetita venæ sectione non levarentur ægri. Cum autem in his febribus promptissima metastasis ad caput fieri soleret, enematum usum substituebat; sicque felicissime curabat phrenitidem symptomaticam in his febribus natam, dum post venæ sectionem, atque unius vel alterius enematis injectionem, vitrioli spiritum cerevisiæ tenui instillabat, & pro potu ordinario ægris exhibebat. Nullam autem aliam methodum profuisse in hoc casu testatur.

tur. Similia notavit & in alia febrium continuarum epidemicarum ſpecie, b) in quo morbo ſumma proclivitas erat, ut materia febrilis mala metaſtaſi caput peteret; & hoc etiam peculiare notabatur, quod ſimul ac tali metaſtaſi facta phrenitis invaleſceret, tunc nulla amplius ſupereſſent febris indicia. Obſervavit autem, neque hanc febrium ſpeciem iteratas ſanguinis miſſiones ferre; unde poſt unicam venæ ſectionem purgans antiphlogiſticum dabat, alternis diebus ad tertiam vicem repetendo, ſimul exhibito hora ſomni levi diacodiato poſt ſingulas purgantis remedii doſes. Spiritus autem vitrioli uſum in harum febrium curatione non adhibuit, utpote minus convenientem morbis illis, quorum curatio purgantibus indiget. Monuit autem, quod phrenitis, ſi in hoc morbo ſemel invaluiſſet, non potuerit ſubito deleri, neque tutum fuerit repetita ultra limites præſcriptos venæ ſectione, vel catharſi ejus curationem aggredi; ſed tempore & ſponte ſua cedere ſolebat hoc malum, modo debitum regimen adhiberetur. Ita enim ad phrenitidem ſymptomaticam compeſcendam in variolis talem methodum adhibuit *Sydenhamus*, c) quæ in aliis caſibus minime conveniet. Decenni

enim puero, cui ſtragulorum pondere & calidis remediis adhibitis, in primo ſtadio variolarum debita illarum eruptio non tantum impediebatur, verum & talis aderat furor, ut totis adſtantium viribus vix lecto coerceri poſſet; dedit ſtatim unciam mediam ſyrupi de meconio, cumque nihil proficeret, poſt horæ ſpatium ſimilem doſin dari juſſit; atque nondum minutis ſymptomatibus, debuit eandem doſin repetere, donec uncias duas cum dimidia aſſumpſiſſet puer; tuncque felici eventu ſedatæ ſunt illæ turbæ, & poſtea convaluit æger.

a) Sydenham. op. 218.
b) — — in ſchedul. monitor.
c) — — ibid.

USUS CAMPHORÆ, MOSCHI, OPII, IN PHRENITIDE.

In acutorum morborum deliriis a quibusdam medicis plurimum commendatur camphoræ uſus, ut etiam in vera phrenitide camphoram præſcribant, addito tamen nitro. At, quicunque camphoræ exſtimulantem vim conſiderat, facile perſpiciet, præſente humorum ad encephalum raptu, omne id inſigniter noce-

cere, quod cordis & arteriarum vires exſtimulat, & cerebrum præprimis gravat; neque ſperare licet, hunc camphoræ ſtimulum nitri connubio ita omnino temperari, ut nulla inde ſæviſſimo morbo intenſio accedat. Eſt tamen aliud deliriorum genus, quod non ab inflammatorio cerebri vitio ortum ducit, ſed ab exceſſu irritabilitatis ab ipſa febre inducto, progignitur, atque declinante jamjam febre ſæpius obſervatur. In hoc itaque *ſtatu nervoſo* non alienum eſt, camphoram exhibere; ea tamen obſervata cautela, quam *Stollius* a) univerſim circa uſum remediorum narcoticorum univerſim tradit; *ſi ea ſimul poſcat, aut admittat natura febris.*

a) Stoll. aphorism. 715.

Idem etiam de moſcho valet, cujus uſus tunc præcipue commendandus, ſi a retropulſis exanthematibus acutæ febri delirium accedat.

Multo minus opium convenit, quod omnes excretiones, excepta perſpiratione, ſuſpendit, & ſanguinem humoreſque ad encephalum urget. Noxios effectus hujus remedii vir celeberrimus *Trallas*, tum in inflammatoriis febribus in genere, tum præcipue in phrenitide, in præclaro de uſu opii ſalubri

lubri & noxio, tractatu, evidenter demonstravit; ut merito miremur, tot infortuniis nondum resipuisse medicos. a) „ Quoties opium nimis in deliciis habentes medici invisunt ægros suos acutis febribus decumbentes, eosque offendunt sine somno inquietos, garrulos, morosos, facile irascentes, quin & furibundos, tum putant quietem ipsis conciliandam esse. Igitur pacans & sedans opium saltem pulveri vespertino addunt, atque bene sese ita defunctos suo officio putant, ipsique molestis suis & seriis negotiis in crastinum dilatis, placidi sese in lectulo quieti tradunt. Sed mirantur sæpe altero die mane accedentes non æque dulci sopore gravisum fuisse ægrum, qui forte multo adhuc pejus sese habet, ac imitis, intractabilis & asper, & loquax. Talia tristia spectacula cum toties obveniant post exhibitum ægro febre acuta inflammatoria laboranti opium, mirum certe est, experientiam non diu jam docuisse medicos, abesse in talibus crisibus hoc pharmacum debere. „

a) Tralles de usu salubri & noxio. Sect. 2.

Neque omnino tutum erit febre etiam declinante, evacuationibus sanguineis largiter institutis, & præmisso multo refrigeran-

tium

tium ufu, phreniticis opium exhibere; febris enim inde, ne augeatur, metus fupeft. At vero ceffante penitus febre, fi levia deliria, defipientia, atque fatuitas fuperfit, prodeft opium; non enim a fanguinis impetu, & inflammatoria labe, fed ab illius potius defectu poft largas fanguineas evacuationes inducto, hæc cerebri perturbatio oritur.

PHRENITIS ET MANIA PUERPERARUM.

Puerperas phrenitis fæpe corripit. Accidit hoc malum plerumque elapfis tribus a partu diebus, ferius etiam, iis præcipue fœminis, plethoricis, quæ ubera infanti præbere aut omnino refpuunt, aut brevi tantum tempore lactationis negotio funguntur. Non autem a fuppreffo lochiorum fluxu hic morbus oritur, cum etiam iisdem libere manantibus, non raro obfervetur. Fors ea ratio non eft improbalis, quæ puerperarum phrenitides ex abundantia elementorum lactis in fanguinis & humorum maffa oberrantium, ac tandem cerebrum opprimentium, originem habere affirmat. Morbus hic fæpe in maniam tranfit, præ aliis maniæ fpeciebus curatu faciliorem. Exigit autem hæc phrenitidis fpe-

cies

cies sangunis evacuationes, potus copiosos, diluentes, emollientesque, enemata, victumqae tenuissimum, ut lactis primogeniti, ut ita dicam, plethora imminuatur.

PHRENITIS A VI EXTERNA CAPITI ILLATA.

Capitis læsiones vehemens non raro phrenitis sequitur. Subinde post aliquot demum dies malum ingruit. Ad inflammatoria deliria pertinere has phrenitides colligitur & ex natura febris, utpote inflammatoriæ, ad quam febris vulneraria, quam proxime accedit, & ex cadaverum sectionibus, quæ cerebrum sanguine serove extravasato pressum, inflammatum, suppuratum esse demonstrant. Juvant præprimis venæ sectiones largæ, quas in vera phrenitide etiam præscripsimus; atque experientia etiam hujus methodi utilitas comprobatur. a) „Delirium & acutam febrim in multis observavi, qui ex alto delapsi caput alliserant; sanguis secta vena eductus crustam pleuriticam contraxit. Dissecta post mortem capita encephalon multis in locis valdopere sugillatum monstrarunt. Quasdam vero aliorum phrenitides, pariter a vi externa ca-

capiti illata profectas, miffionibus fanguinis, & antiphlogiftica methodo fanavi, eadem nempe ratione, qua validiori contufioni aliarum partium, quarum periculofa inflammatio foret, medemur. „Conveniunt lenes alvi ductiones, partim putridas fæces in inteftinis collectas educendo, partim humores a fuperioribus partibus leniter revellendo. Dein. de maximam fomentorum frigidorum utilitatem princeps exercitus Borulfici chirurgus *Schmuckerus* b) multiplici experientia comprobavit. Optima methodus eft, cum lintea fale ammoniaco aut nitro confperfa, capitique impofita, aqua madefiunt, ut intenfiori fub ipfo folutionis actu frigore, inflammatio validius difcutiatur. Notandum autem eft, actu frigidorum applicationem in primo tantum ftadio, inflammatorio nempe, prodeffe, at nocere, quamprimum fuppurationis orituræ, aut jam ortæ figna adfunt.

a) Stoll. ratio medendi. T. III. p. 109.

b) Schmucker. chirurgifche Wahrnehm. B. I.

RELAPSUS, CONVALESCENTIA.

Grave monitum eft Illuftr. Swietenii: a) „ Hoc tamen monendum videtur, quod fedato

dato jam febris impetu, sæpe adhuc superfit delirium, coma, debilitas ingens, aliaque symptomata, quæ cerebri functiones adhuc perturbatas esse docent. Non tamen ideo venæ sectionibus, purgantibus, aliisque vires debilitantibus remediis utendum est, ut tales sævi hujus morbi reliquiæ tollantur; sed blando victu; quiete, situ corporis erecto &c. sensim hæc cedere solent.„ Neque mirum sane, lento gressu pristinam sanitatem sequi, cum phrenitis non nisi largis sanguinis evacuationibus, atque virium vitalium inde inducta ruina, sanari possit, & ipsum cerebrum non nisi lente priorem firmitatem acquirat. Id etiam observationes docuerunt, eos homines, qui semel phrenitide laborarunt, facile hoc morbo iterum corripi, ut ergo ab omni stimulo excitandæ phrenitidi idoneo maximopere & longo tempore, cavendum sit.

a) Swieten. Comment. T. II. p. 615.

Quædam adhuc de phrenitide notanda sunt:

1. Diagnosis phrenitici morbi non ex uno tantum signo, sed ex pluribus collectis comparatisque, recte monente *Cælio Aureliano* 1) statuenda est. Sed respiciendum ad causas prægressas, ad anni tempus phlogisticum, ad

ad ægros una decumbentes; ad ægri idiosyncrasiam, quidam enim, præ ceteris, inflammationibus capitis magis obnoxii sunt.

a) Cœlius Aurelian. De phrenitide.

2. Optimus modus coercendi furiosos is esset, ut linteis involverentur, ne sibi aut adstantibus vim inferant. Valido enim nisu vincula disrumpendi simul febris insurgit.

3. Neque credendum est, si vinctus aliquis, dum levari vinculis cupit, quamvis prudenter & miserabiliter loquitur; quoniam is dolus insanientis est. a)

a) Celsus. L. III. 18.

4. Antiqui tales ægros in tenebris habebant, eo quod illis contrarium esset, exterreri, & ad quietem animi tenebras ipsas conferre aliquid judicabant. At alii, tanquam tenebris ipsis terrentibus, in lumine habendos esse dicunt. Neutrum autem perpetuum est: alium enim lux, alium tenebræ magis turbant; reperiunturque, in quibus nullum discrimen deprehendi, vel hoc, vel illo modo possit. Optimum itaque est, utrumque experiri; & habere eum, qui tenebras horret, in luce, eum, qui lucem, in tenebris. At ubi nullum tale discrimen est, æger si vires habet, obscuro continendus est.

5. Di-

5. Digitum, linguam exploraturus, phreniticorum ori ne immittito.

ANGINA.

Definitio & generalis anginæ divisio.

Generali anginæ nomine omnes hos morbos comprehendimus, qui vel deglutitionem vel respirationem lædunt, vel utramque, sive impedimento tantum, vel dolore, vel utrisque simul concurrentibus hæc læsio contingat, modo causa morbosa, binas has functiones lædens supra pulmones & stomachum hæserit.

Antiquissima autem anginæ divisio habetur, in illam, quæ absque ullo signo tumoris externe apparentis, vel interne in faucibus conspicui invenitur; & alteram, quam tumor quidam sensibus detegendus comitatur. Hanc anginæ divisionem & *Hippocrates*, & *Celsus*, & *Aretæus* notaverunt. Illam autem, quæ absque ullo tumore conspicuo fit, tanquam maxime exitialem damnaverunt omnes.

Primo jam agendum erit de illa anginæ specie, quæ sine ullo signo tumoris externi vel interni apparet. Patebit autem inferius,

ab

ab inflammatione interiori laryngis circa ejus summitatem, anginam fieri, quæ nullo se manifestet tumore; verum dolor ingens, & reliqua inflammationis signa peritum medicum docent, latere tale malum. Alia autem ejus species observata fuit, pariter admodum periculosa, & fere lethalis; in qua pallor faucium, siccitas, & tenuitas earundem apparent, absque ullo signo latentis in interioribus partibus, inflammationibus. Quandoque quidem aliquis dolor & rubor in faucibus apparent, sed leviora tantum, neque inde tument partes affectæ, sed potius insignem suæ torositatis diminutionem demonstrant. Rarius quidem occurrit hæc anginæ species, & fere tantum post morbos diuturnos exhausto corpore, inprimis post validas & frequenter repetitas evacuationes per venæ sectionem, purgantia, vomitoria, &c. A talibus causis ortam hujusmodi anginam observavit *Sydenhamus* a), post febres sive continuas, sive intermittentes, cum deglutiendi primum difficultate & molestia, supervenientibus deinde raucedine, oculis cavis, & facie Hippocratica dicta, mortis certo imminentis signis. Monet autem, funesto huic symptomati producendo longiorem febris moram, cum eva-

cuantibus justo copiosioribus sociam ut plurimum operam commodasse. Patet satis, quare hæc anginæ species raro curabilis sit, cum omnis spes in eo posita sit, ut restituantur subito perditi humores, sicque bono succo vitali repleantur vacua vasa. Verum ipsa deglutitio læsa impedit, quo minus talia commode ingeri possint; & simul deficiant illa, a quibus ingestorum assimulatio exspectatur, debita nempe copia humoris boni, & humorum in contenta fluida actio requisita. Tota ergo curatio in eo consistit, ut ingerantur talia, quæ sanis humoribus quam simillima, debilibus viribus assimilantibus adhuc subigi poterunt, simulque calefacientibus & roborantibus remediis prudenter exhibitis, vasorum in contenta fluida actio augeatur. Angina phthysicorum ab extenuatis carnibus musculorum respirationi & deglutitioni inservientium.

Quæ modo descripta fuit anginæ species, morbos prægressos sequitur, adeoque prævideri poterit saltem, licet sæpissime incurabilis. Verum docuerunt observationes, in sanis etiam hominibus quandoque absque ullis signis morbi antecedentis, subito impediri deglutitionem vel respirationem, vel utram-

que

que, atque mox mortem ſequi, licet nullus tumor in faucibus, vel externis partibus, neque inſolita earundem gracilitas, & ſiccitas apparuerint antea. Catarrhum ſuffocaticum vocarunt plurimi auctores ſimile malum; quia a materiæ eliquatæ in fauces & pulmones ſubita deſtillatione natum putabant fere ſemper. Dum enim viderant in coryza dicta tam ſubito ſæpe fieri per nares copioſi & acri ſeri profluvium, & membranam Schneiderianam ſubito adeo tumere, ut omnem aëris tranſitum per patula naturaliter adeo narium foramina impediret, crediderunt non ſine ratione, & ſimile quid in membrana, laryngem & aſperam arteriam inveſtiente, contingere poſſe, unde citiſſima ſuffocatio, & mors ſequi debent. Subitaneos enim tales tumores in variis corporis partibus naſci in ſanis ceteroquin hominibus, obſervationes medicæ docent. Sic quibusdam ſatis familiare eſt, dum humida & calida tempeſtate per apertum aërem incedunt, ilico fere faciem tumore eryſipelatoſo inflatam habere, imo novi tales homines, qui matutino tempore de feneſtra tantum proſpicientes, ſic affecti fuerunt. Adeoque non videtur impoſſibile, lethalem ſubito anginam a talibus cauſis naſci poſſe, licet nul-

nulla ſigna alicujus morbi prægreſſa fuerint. Interim tamen rariſſime hoc contingere certum eſt, cum hic non agatur de inflammatione ſubito natâ circa laringis ſuperiora, quæ quidem citiſſime ſtrangulando necat, ſed dolore acuto aliisque ſignis prægreſſis, vel comitantibus cognoſci poteſt.

Poſt hyemem auſtralem pluvioſam & tepentem, ſi ver ſiccum & aquilonium ſequatur, notavit *Hippocrates* a), catarrhos ſubito necantes ſenioribus contingere. Similem caſum, qui modo dicta confirmat, refert *Schenckius*. b) Homini enim fere ſexagenario plenioris habitus, cui præter laſſitudinem nihil mali aderat, media nocte adeo vehemens catarrhus accidit, ut velocem defluxionis impetum ſentiret quidem, & auxilium imploraret; ſed mox ſuffocaretur, priusquam aliquis adeſſe poſſet. A morte autem ilico copioſa pituita lenta & viſcida ex ore profluebat. Monet tamen Schenkius, perquam raro tales caſus contingere. Si autem conſiderentur illa, quæ apud obſervationum medicarum collectores habentur de catarrhis illis ſuffocativis, patet, ſæpiſſime in cadaveribus pulmones ſuppuratos inventos fuiſſe. Ita *Carolus* IX. Galliarum Rex, rupto pulmonis vomica

fu-

ſubito periit, dum purulenta colluvies aſperam arteriam inundabat tanta copia, ut ſuffocaretur illico. c) Sic & alibi d) legitur de lanione, qui meridie circa laryngem & fauces dolorem ſenſerat, & quandam in deglutiendo cibo & potu difficultatem; ſub veſperam ipſe pharmacopæum adiit, gargarisma petens, ſequenti nocte ſubito ſtrangulatus interiit. In cadavere pulmo purulentus inventus fuit. Quod autem maxime notandum, nulla tuſſis antea moleſta adfuerat huic homini, nulla hæmptoe prægreſſa, ſed ſanido & valido corpore, & obeſo quidem hactenus vixerat.

a) Hipp. aph. 12. ſect. III.
b) Schenkius L. I. de catarrho. obs. 5.
c) Bonet ſepulchret. T. I. p. 579.
d) — — p. 476.

ANGINÆ CUM TUMORE.

Tumorum varia natura.

Hæ anginæ cum tumore ſpecies diverſa eſt pro ratione loci, quem tumor ille comitans occupat; vel pro varia indole tumoris ipſius, qui ſua mole partes deglutioni vel reſpirationi ſervientes impedit. Hoc au-

tem paragrapho de varia natura tumorum, qui anginam faciunt dicetur; sequenti vero de locis, per hos tumores occupatis, agendum erit.

Catarrhalis, quæ sæpe epidemice grassatur, regnante nempe catarrhalium febrium constitutione.

Inflammatoria, hæc latissime patet. Et cum varius sit inflammationum exitus, & *purulenta*, *gangrænosa*, *scirrhosa*, *cancrosa angina* habetur.

Putrida, *maligna*, *pituitosa*, *biliosa*. angina a febre, quam comitatur, nomen accipit.

Exanthemata etiam varia, has partes obsidentia, hunc morbum producunt; hinc *erysipelatosa*, *scarlatinosa*, *miliaris*, *aphtosa*, *morbillosa*, *variolosa angina est.*

Ab acri venereo non raro partes respirationi & deglutitioni dicatæ insigniter læduntur. Hinc *venerea* anginæ species.

Convulsiva, quæ a spasmis oritur. In hystericis mulieribus satis familiare malum, dum fauces, convulsis musculis harum partium, ipsis præfocantur, a sola perturbatione generis nervosi per validos animi affectus, subitas evacuationes &c.

SEDES TUMORUM VARIA.

Lingua. Vidit talem casum Illustris *Swietenius* a) in muliere sexagesinaria jam majore, quæ ulceribus scorbuticis in utroque crure diu laboraverat, ceterum satis firmæ valitudinis. Post meridiem senserat levem quasi asperitatem in lingua; vesperi deinde dolorem, circa linguæ radicem, qui cito locum mutans linguæ apicem occupabat. Adeo autem subito ingravescebat malum, ut circa medium noctis sequentis vocatus, invenerit ægram fere suffocatam, nihil omnino deglutire valentem. Lingua autem tumidissima totius oris cavum replens deformem penitus molem carneam referebat. Valida venæ sectione illico instituta, & acri clysmate purgante injecto, applicatis simul mollissimis fomentis & cataplasmatibus stetit quidem malum, non increscens amplius; verum post octo horas, cum tumor linguæ nihil adhuc minueretur, venæ sectio larga instituta fuit, & simile clysma applicatum; tuncque incepit subsidere linguæ tumor, & mollior fieri; febris minuebatur, quæ antea intensa aderat, & hora quinta pomeridiana jam incipiebat redire utcunque loquela, atque aliquid deglu-

tire poterat; refpiratione fimul jam fatis libera reddita, ficque fatis cito ex tanto difcrimine evafit.

a) Swietem Comment. T. II. p. 626.

Videtur & inflammatorius talis linguæ tumor ab *Hippocrate* a) defcriptus fuiffe: vocatur autem apud ipfum 'Υπεγλωσσίς, quod vocabulum ranam verterunt, dicit autem: *fi ranula fiat, lingua tumet, parsque fub ipfa, & externa dura eft ad contactum, & falivam deglutiri non poteft.* Inflammatoriam autem illum tumorem fuiffe, patet ex iis, quæ deinde fequuntur. Sic enim habet: *ubi vero purulentum fuerit, fecato. Interdum verò fua fponte rumpitur, & absque fectione fubfidet &c.* Apud *Aretæum* b), ubi de angina agit, pariter memoratur, quod lingua extra dentes quandoque promineat, oris cavo ob auctam magnitudinem contineri non potens. Verum talis linguæ tumor in peffimis anginis contingit, dum impedito a tumentibus partibus per jugulares externas cruoris reditu, lingua fanguine accumulato turget. Schirrhofos & cancrofos tumores quandoque linguam occupare atque deglutitionem lædere, ex hiftoria medica nimis notum eft. Simul etiam patet, eadem mala fieri poffe, fi

mu-

musculi linguæ affixi inflammentur, uti quandoque a tumore inflammatorio sub mento, genioglossos musculos impediente, manifeste factum vidit *Swietenius*.

a) Hipp. de morbis L. II. c. 10.

b) Aretæus de causis & signis morborum. L. I. c. 7.

Palatum. Ex physiologicis constat, cibos & potus dorso linguæ impositos inter hanc & palatum fornicatum, sulcis ad fauces determinantibus instructum, pressos, versus pharyngem deduci. Si ergo inflammatorius, vel suppuratorius tumor palatum obsideat, vel exostosis hic nata fuerit, patet deglutitionem lædi debere. Frequentissime tales tumores palati occurrunt, dum dentes superioris maxillæ cariosi, vel radicibus suis adveolos pertundentes; membranam palatum osseum investientem irritaverint.

Tonsillas. Et quidem omnium frequentissime tumores anginosi has partes affici, vel ex eo patet, quod *Hippocrates* a) juniorum morbos recensens, quibus post dentitionem corripi solent; etiam *tonsillarum* meminerit.

a) Hipp. aph. 26. Sect. 1.

Uvulam, hujus musculos. Inflammatione, suppuratione, gangræna, hanc partem

quan-

quandoque affici, vel folam, vel una cum vicinis, & periculofam anginam facere, ex *Hippocrate*, *Aretæo*, aliisque veteribus medicis patet, qui tales morbos defcripferunt; atque idem quotidianis obfervationibus confirmatur. Uvulam fcirrhofam redditam eousque increviffe, ut totum oris cavum impleret, & dentes interiores fere tangeret, *Hildanus* notavit. Mufculos autem huic parti affixos, variis ejus motibus in deglutitione perficiendis, fimiliter affici poffe, facile patet.

Cava offium frontis &c. Miræ obfervantur excrefcentiæ membranæ Schneiderianæ per hæc cava diftributæ, quæ fenfim mole auctæ liberum aëri per narium cava viam minuunt, tandemque magis productæ per narium foramina prominent, vel & a pofteriori parte pone velum pendulum palatinum in fauces protuberant, fumma cum moleftia. Cum autem illæ excrefcentiæ fæpe pluribus in locis narium internarum radicentur, hinc evulfæ pluribus quafi radicibus donatæ apparent, plerumque molles & fungofæ, atque hinc vel a multitudine harum propagium, vel a fimilitudine cum polypo pifce, qui pluribus cirrhis prominentibus inftructus eft, polypi vocantur. Cum autem tales polypi evulfi fimilem

lem fabricam demonſtrent, ac in membrana mucoſa narium cava inveſtiente obſervatur, videtur concludi poſſe; nihil aliud eſſe, niſi hujus membranæ mucoſæ fungoſas degenerationes. Hoc ulterius confirmatur, dum in cadaveribus illorum, qui polypis narium antea laboraverant, tales excreſcentiæ membranæ illius mucoſæ inventæ fuerunt. Sic in muliere, cui ante biennium ex nare dextra prominens polypus, ſimilisque pone uvulam emergens, evulſus fuerat, & quæ paulo ante mortem de nova quadam moleſtia in naribus percepta fuerit conqueſta, diſſecto ſinu maxillari ſimilis polypus inventus fuit, quamvis minor. Ita & *Ruiſchius* a) in antro Higmoriano cadaveris publice diſſecti polypum invenit, & in muliere, quæ a malæ tumore & gingivarum excreſcentia maligna peſſime habebat, poſt excreſcentiæ amputationem, & dentium molarium aliquot evulſionem, inuſtione facta, quæ ad cavum antri Higmoriani penetrabat, ſequentibus diebus minimo digito plures polypos extruſit.

a) Ruiſchius, Obſerv. anatom. obſ. 77.

Per varia autem narium internarum loca ſuis radicibus diſpergi tales polypos, docet figura polypi utramque narem obturantis, ſi-

ſimulque duplici prominentia in faucibus protuberantis, feliciter evulſi, quæ habetur apud *Tulpium.* a) Ubi ſimul notandum, quod & venas per polypum hunc diſperſas invenerit, & omnes ejus propagines membraneo velamento tectas viderit, ſub quo continebatur concreta pituita, in pleriſque mollis & pellucida, in aliis dura ac opaca inſtar cornu adusti.

a) Tulpius Obſerv. med. l. 1. c. 26.

Poſſe autem polypum in his narium cavis radicatum, mole dein auctum, reſpirationem & deglutitionem impedire ſatis patet; & triſtiſſimum talem caſum vidit *Boerhavius* in homine, ad quem ab chirurgo ſuburbano vocabatur, qui licet ceteroquin ſatis peritus eſſet, candide fatebatur ſe ignorare, quo morbo æger decumberet. Animam fere agebat miſer, jamjam ſuffocandus, maxillæ non ſine moleſtia deductæ erant, in conſpectum venit lingua, informen, lividam maſſam carneam referens, qua depreſſa aliud occurrebat corpus, quod primo aſpectu vix diſtingui poterat; verum patuit accurato examine, eſſe velum pendulum palatinum verſus anteriora pulſum, ſic ut quam proxime ad dentes anteriores accederet. Cum ex hiſtoria morbi præ-

greſ-

greſſa ſatis pateret, polypum, ex naſi poſterioribus foraminibus deſcendentem, velum pendulum verſus anteriora profuiſſe, nihil ſupereſſe videbatur, niſi ut velum illud pendulum deſcinderetur, & deinde polypus tolleretur vel integræ, vel pro parte ſaltem, ut levaretur æger. Verum dum ſe huic operationi perficiendæ accingebat chirurgus, miſer æger ſuffocatus periit.

Antequam ergo in tantam molem excreſcant polypi, tollendi ſunt; quod ſatis commode fit, ſi in nares, vel pone velut palatinum prominuli forcipe prehendi poſſint; tunc enim ſæpe absque magno dolore, vel hæmorrhagia, uti teſtantur obſervationes medicæ, evelli poſſunt. Hoc facto alumine, multa aqua diluto, per nares attracto, ſiccantur fungoſæ polyporum reliquiæ, cum aliter ſæpe repullulent, uti frequenter contingit.

Ubi vero ſic hærent polypi, ut commode prehendi nequeant, vel his evulſis, illorum adhuc reliquiæ ſuperſunt, an tentari poſſet illa methodus, quæ apud *Hippocratem* a) deſcribitur? ſumebat nempe ſpongiam talis craſſitiei, ut naſo aptari poſſet; dein contortam, & lino ægyptiaco circumvolutam, ut durior eſſet, quadruplici filo lineo alligabat,

ſic,

ſic, ut unum quodque filum cubitalem haberet longitudinem. Deinde quatuor his filis in unum principium coactis, ſumebat tenuem virgam ſtanneam, quæ altera ſui parte foramen habebat transmittendis quatuor his filis ſimul unitis aptum. Per nares dein virgam ſtanneam in os dimittebat acuta ſua parte, atque illam arreptam trahebat, donec principium filorum apprehenderet. Deinde ſpecillo biſulco ſub uvulam demiſſo ſuſtinebat hæc fila, ne inter trahendum, illa velum palatinum lacerarent, ſicque juſſit fila obnixe trahendo polypum educi, dum nempe ſpongia per nares traheretur in fauces, atque in hoc itinere averterent illa, quæ in his locis hærebant, obſtacula. Hanc methodum poſtea adoptaverunt celebres chirurgi, ſed hoc diſcrimine, quod chordam, qualis ſetateis adhiberi ſolet, digito pone velum pendulum palatinum ducerent, illamque tenui incurvo forcipe per narum demiſſio prehenſam educerent, ſicque unum chordæ extremum de naſo, alterum ex ore penderet. Mota chorda poterit atteri polypus, & dum ſuppurantibus inungeretur illa chordæ pars, quæ in naſi cavo manebat, leniter conſumi. Similem vero cautelam adhibebat, dum chorda trahe-

ba-

batur, ac *Hippocrates* b) jusserat, ne velum pendulum læderetur. Facile autem patet, tantum sic tolli posse polypos, vel illorum reliquias, quæ in narium proprie dicendis cavis hærent; omne enim, quod in antris Higmorianis, sinubus frontalibus, aut ossis sphenoidis cavis hæret, hac methodo attingi nequit.

a) Hipp. de morbis. L. II. c. 11.

b) Medical. essays. T. II. p. 376.

Musculos ossis hyoidis &c. Si inflammati fuerint quidam ex his musculis, vel convulsi, aut paralytici, patet, turbati debere deglutitionis actionem, & quidem variis modis, pro diversis musculis affectis, quorum usus ex physiologicis cognitus docere poterit, quinam ex his læsi fuerint, dum attenditur, quænam in deglutitione perficienda inveniantur impedimenta, & quo deglutitionis tempore hæc occurrant.

Musculos laryngis &c. Asperæ arteriæ extremum, concursu cartilaginarum binarum Arytænoidarum, & incumbente epiglottide factum, una cum suppositis cartilaginibus thyroidea & cricoidea, ad laryngem pertinet. Notum autem est ex anatomicis, plurimos musculos omnibus his partibus affigi, quorum

rum quidem externæ, aliæ internæ memoratarum partium superficiei adhærent, & dilatandæ vel arctandæ glottidis rimæ pro vocis moderamine serviunt. Verum & ab iisdem partibus alii musculi oriuntur, in vicinum pharyngem v. g. inserti, & deglutitioni inservientes. Præterea novimus inter deglutiendum totam laryngem attoli, & dein iterum deprimi per musculos ac hanc rem destinatos. Peterunt ergo & hic simillima mala observari, ac modo de ossis hyoidis musculis dictum est, & periculosissimæ quidem anginæ oriri.

Asperæ arteriæ. Arteria aspera dicta segmentis orbicularibus cartilagineis, parte postica abscissis, atque ibi loci membrana valida completis, constat. Sed & ipsa hæc segmenta cartilaginea vinculis musculosis interpositis junguntur. Poterit ergo inflammata hæc membrana & tumens liberum aëris ingressum in pulmonem impedire, sicque respirationem lædere. Et ab eadem causa etiam deglutitio turbabitur, dum per œsophagum deglutita descendentia accumbentem asperæ arteriæ posticam partem membranaceam inflammatam & dolentem irritant, uti etiam, dum inter deglutiendum una cum larynge aspera arteria sursum trahitur. *Pha-*

Pharyngis musculos &c. ex deglutitionis enim historia notum est, pharyngem dilatari variis musculis, ut deglutienda facilius ejus cavum ingrediantur; deinde huc pulsis degluttiendis & œsophagi initium ingressis, stringi musculum œsophageum, qui ab utroque latere cartilaginis cricoidis ortus œsophagi orificium amplectitur, & extrorsum ambit: sed deglutita in œsophagi tuba jam hærentia, non descendunt tanquam per infundibulum proprio pondere in ventriculum, verum fibris muscularibus, tum orbicularibus, quam longitudinem musculosam œsophagi tubum constituentibus, promoventur per lubricam, mucoque madentem hanc viam. Facile ergo patet, musculis his inflammatis, vel & convulsis, uti toties in histericis mulieribus fit, deglutitionem impediri debere.

Glandulas asperæ arteriæ. Ut enim & respiratio & deglutitio exerceri possint patulæ requiruntur viæ, quæ aërem, vel deglutienda admittunt, & mobiles debent esse partes, quæ varios illos motus ad has functiones requisitos perficere debent. Glandularum ergo circa hæc loca dispositarum tumores inflammatorii, suppuratorii, scirrhosi &c. vel arctando mole sua vias, vel impediendo

li-

liberam adeo numeroſorum muſculorum actionem, & reſpirationem, & deglutitionem lædere poſſunt, ut facile patet. Verum parotides & reliquæ ſalivales glandulæ, ſic tumentes, frequentem ſatis anginæ cauſam faciunt, & curatu difficillimam quidem, ſi in ſcirrhoſam indôlem degenerent. Cryptæ illæ mucoſæ in œſōphago, pharynge, larynge, aſpera arteria hærentes, obſtructæ & tumentes eadem producere poſſunt mala, dum ſimul his partibus male affectis, debita muci ſecretio, omnes has vias lubricantis, deficit.

Referuntur huc & thyroideæ glandulæ, cartilagini ejusdem nominis incumbentes; verum tamen ab illarum tumore, niſi admodum magnus & durus ſit, non adeo poterit impediri deglutitio vel reſpiratiio, cum in externa parte colli ponantur, & ſubjectæ cartilagines ſatis reſiſtant, ut laryngis compreſſio inde fieri nequeat. Si vero immani tumore, vel accretione cum vicinis partibus, laryngis in deglutitione motum impediant, poterunt & deglutitionem lædere. Rarius autem hoc contingere, evincunt Tyrolenſes, & Carniolæ incolæ, qui ingentes in colli anteriori parte tumores absque multo malo tota ſua vita gerunt.

Quan-

Quando vel dolore, vel impedimento vel utrisque ſimul concurrentibus deglutitio vel reſpiratio læditur, angina vocatur generali nomine talis morbus, ſi cauſa nempe illius in bifurcatione aſperæ arteriæ hæreat. Verum ex antecedentibus patuit, quam multiplex illæ morbus eſſe poſſit, dum vel tumorem conſpicuum comitem habet, vel absque ullo tumoris interni vel externi ſigno adgreditur, plerumque tunc periculoſiſſimus, uti dictum. Quæ autem cum tumore eſt angina, diverſa eſt iterum ratione materiæ tumorem facientis, inflammatoriæ &c. atque iterum ratione partium adeo numeroſarum, quæ deglutitioni & reſpirationi ſerviunt, & per illos tumores lædi vel impediri poſſunt, ſicque nova ejusdem morbi varietas exſurgit, admodum multiplex. Cum auten obſervata medica doceant, inflammationes, catarrhos, convulſiones, ſubito varias corporis partes quandoque occupare, absque ullis ſignis prægreſſis ſæpe, patet ratio, quare aliquando tam improviſo ſaniſſimos cæteroquin homines angina corripiat. Sed etiam intelligitur ratio funeſti toties eventus in hoc morbo, dum nempe tumores ſubito nati, imprimis circa laryngem, omnem aditum aëri per aſperam ar-

te-

teriam in pulmones denegant, ficque citiffime ægros ftrangulant; vel etiam dum glandularum hic pofitarum tumores in fcirrhos nulla arte fæpe refolvendos degenerant; unde fere æque certa pernicies imminet, quamvis non tam fubito tale malum homines de medio tollat; fed fenfim increfcente tumore refpiratio impediatur, vel tranfitus cibi & potus per œfophagum tollitur, donec lento marasmo, Tantali pœnas diu experti, miferrime pereant.

Recenfebuntur nunc breviter variæ anginæ fpecies, quatenus nempe harum diverfitas a natura tumoris, organa deglutitionis vel refpirationis impedientis, deducitur. Illa enim hujus morbi varietas, quæ a locis per hos tumores occupatis pendet, non adeo multum mutat medendi methodum, licet prognofis diverfa inde pendeat; & magis minusve periculofus idem nomine morbus fit, prout has illasve partes obfederit. Sive enim larynx inflammata fuerit, & ftrangulationis imminentis periculum fecerit; five in pharynge fimile malum hærens deglutitionem impediverit, eadem curatio requiritur, nempe inflammationis præfentis refolutio. In priori tamen cafu ingens difcrimen poftulat, ut fimul & femel validiffima adhibeantur remedia;

dia; quibus ſimilia, ſed leviora, in poſteriori caſu applicari pariter debent, uti poſtea patebit, ubi de angina inflammatoria has partes occupante dicetur. De diverſis ergo anginæ ſpeciebus ſingularibus capitulis nunc agendum erit.

ANGINA INFLAMMATORIA.

In recenſendis variis anginæ ſpeciebus ab inflammatoria angina exordium ducit *Stollius*, cum hæc ſpecies, omnium ſæpiſſime medicis ſoleat occurrere, & ob inflammationis vehementiam, quæ has deglutitioni & reſpirationi inſervientes partes corripit, infauſtum non raro exitum ſortiatur. In exponenda atque anginæ inflammatoriæ doctrina, pro diverſitate loci ſingulas anginæ ſpecies, ſuis quamlibet characteribus inſignitas, dein modos, quibus quælibet ſpecies in ſanitatem, mortem, morboſque alios tranſiiſſe obſervatum eſt, atque methodus medendi ſingulis ſpeciebus idoneas, enumerabimus.

CAUSÆ ANGINÆ INLAMMATORIÆ.

Præter generales inflammationum causas, quæ in quovis corporis loco illam excitare possunt, notandum est, ad anginam inflammatoriam producendam concurrere quandoque & alia, quæ versus organa deglutitionis vel respirationis harum causarum efficaciam determinant potius, quam versus alias corporis partes. Sunt autem hæc vel talia, per quæ causæ producendæ inflammationi aptæ, applicantur his partibus; uti v. g. cantus, clamor &c, vel sola observatione effectuum novimus, quasdam esse causas, quæ materiam inflammatoriam versus hæc loca deponunt, licet non intelligamus rationem, quare hoc sic factum fuerit: sic v. g. dum anginæ inflammatoriæ epidemica grassantur, a primo morbi insultu incipiunt horrere & rigere; mox sequitur febris; & post hanc citius vel serius incipiunt dolere fauces, & inflammari; atque sæpe tunc vidi cessare febrim, simul ac materia inflammatoria versus hæc loca esset deposita: & si benigna resolutione curabilis fit hæc angina, postea nulla febris sequitur amplius. Videtur ergo per febrim prægressam determinari anginæ causa

ver-

versus hæc loca, qua ægri in morbos inflammatorios proni sunt: simili modo, ac in epidemica pleuritide, phrenitide &c. observatur, ubi per febrim in latera, vel caput, morbi materies deponitur.

Huc autem spectat & dispositio propria, qua ægri in morbos inflammatorios proni sunt, & imprimis harum partium. Sic novi plures, qui quotannis a vere nempe & autumno, bis corripi solent angina, quamvis leviori plerumque, & resolutionis via curabili, tamen & quandoque in suppurationem vergente. Juvenes autem, & sanguineo temperamento præditos his morbis obnoxios esse, & præ reliquis omnibus, rufos, observasse se testatur *Sydenhamus*. a)

a) Sydenham. Op. p. 357.

Verum & validum harum partium exercitium, & frequens, multum facit ad hunc morbum excitandum, uti quotidianis observatis constat in illis, qui muneris ratione diu, & cum vehementia perorare debent. Ob eandem causam clamor, cantus, fistularum & tubarum inflatus huc referuntur. Videmus enim omnibus illis faciem, labia, oculos turgere, & sanguine diffundi, simulque majo-

rem calorem conciliari toti corpori, & imprimis ſuperioribus partibus.

Si pernici quis vehatur equo, etiam tranquilla tempeſtate, adverſum quaſi ſentiet ventum, dum aër motis per illum corporibus reſiſtit, quanto majori celeritate moventur. Majus autem frigus percipimus omnes, dum ventus flat, quia vicinus nobis aër, ilico a calore corporis caleſcens, difflatur omni momento, atque ſimul frigidior aër ſtatim in ejus locum ſuccedit. Dum ergo fortiter quis eqitat adverſo vento, omni momento frigidus aër fauces ingreditur, atque caleſcentes a celeri equitatione partes attingit, atque mox inflammat. Hæc eſt ratio, quare toties illi, qui hyemali tempore magna itinera equitando perficiunt, angina, peripneumonia, pleuritide, & ſimilibus morbis corripiuntur. Ob easdem cauſas, laboribus validis in aëre frigido peractis, angina inflammatoria corripiuntur homines, quamvis enim reliquas corporis partes veſtibus contra frigus munire poſſimus, jugis tamen reſpirandi neceſſitas facit, ut gelidus aër os internum & fauces omni momento alluat, ubi nuda vaſa, nulla cute tecta, aëris immediato fere contactui exponuntur.

Su-

Subitas frigoris & caloris viciſſitudines plurimos morbos facere, conſtans omnium medicorum obſervatio docet. Unde & *Sydenhamus* notavit, illud anni tempus morborum inflammatoriorum maxime fœcundum eſſe, quando vere jam adulto æſtivi calores incicipiunt; & de angina ſpeciatim monuit, quod quidem quolibet anni tempore aggreditur, maxime tamen illo, quod verem atque æſtatem interjacet. a)

a) Sydenh. Op. p. 282.

Unde etiam inter vernos morbos anginam numeravit *Hippocrates*. a) Similium morborum frequentia verno tempore forte & inde augetur, quod diurnum calorem veſpertinum frigus ſatis intenſum ſequatur; nam periculoſiſſima eſt hæc viciſſitudo, dum calorem æſtuantem magnum frigus excipit, & quidem usque adeo, ut *Sydenhamus* non dubitaverit aſſerere, quod plures homines ab hac cauſa pereant, quam peſte, gladio, & fame omnibus ſimul. b) Lethalem quarto die anginam ab hac cauſa natam dolui in optimo cive hujus urbis, qui medio Majo menſe in hortulo ſuburbano ſedens, blando ſolis verni tepore delectatus, obdormiverat in ſeram veſperam usque, & nocte ſequente peſſima angi-

gina corripiebatur, quæ illum frustra tentatis efficacissimis remediis, e medio sustulit.

a) Hipp. aph. 20. Sect. III.

b) Sydenham. Op. p. 258.

Quicunque æstivis sub fervoribus per arida & sabulosa loca iter fecerunt, hoc quandoque experti sunt; nempe totum os, & fauces sic siccari, ut deglutitio dolens reddatur non tantum, sed & sæpe impossibilis omnino, donec potu assumpto, iterum humectentur hæc loca. Exsiccantur enim, & arescunt penitus ultima emissaria arteriarum exhalantium; & si diu pergat agere eadem causa, penitus impervia redduntur.

SPECIES ANGINÆ.

Dum, itaque enarratæ hucusque causæ in partes respirationi atque deglutitioni dicatas agunt, variæ oriuntur anginæ species a partium illarum diversitate productæ. Quinque autem species anginæ statuit *Stollius*.

I. *Inflammatio asperæ arteriæ. Angina trachealis.* Angina membranacea Rosensteinii. Angina polyposa neotericorum.

II. *Inflammatio laryngis.* Cynanche *Trallianæ* & *Æginetæ*.

III.

III. *Inflammatio* mufculorum offis hyoidis & laryngis.

IV. *Inflammatio pharyngis.* Synanche Tralliani.

V. *Inflammatio* tonfillarum, uvulæ, vel penduli.

VI. *Inflammatio* harum partium compofita.

I.
INLAMMATIO ASPERÆ ARTERIÆ. SIGNA DIAGNOSTICA.

Ut in omni parte inflammata tumor, calor, atque dolor oriuntur, ita quoque in inflammata membrana afperiæ arteriæ, communes hi inflammationis effectus oriuntur. At tumor ille internus oculis non confpicitur. Dolor acutus quidem ab ægris percipitur, fed non adeo diftincte locum dolentem indicare poffunt, cum fæpe inflammatio per notabilem longitudinem internæ membranæ afperæ arteriæ diffundatur. Præcipua ergo figna talis anginæ habentur ex functionibus læfis ipfius partis affectæ. Sunt autem figna anginæ trachealis:

1. *Febris acuta continua.* Commune omnibus anginæ inflammatoriæ fpeciebus fignum.

2.

2. *Vox acuta, clangosa, sibilans.* Asperæ arteriæ præcipuus usus est, ut aërem inspiratum & exspiratum transmittat libere, tam ad respirationem peragendam, quam ad formandam vocem. Ubi ergo inflammatorio tumore hic nato angustatur asperæ arteriæ cavum, nec libere, ut solebat in sanitate, ingredi potest aër in pulmonem, neque commode inde exire. Hinc vox acutior redditur, & cum sibilo aër ex pulmone expulsus per angusta hæc loca transit. Cum autem inflammata hæc membrana siccior reddatur, vox clangosa fit. Vox enim arefactis faucibus non transit per mollia & humida loca, ut in sanis fit, sed resonat, ac si per tubam metallicam siccam, & glabram expelleretur. Verbis non adeo bene describi potest, qualis illa vox sit, sed qui semel illam in ægris audiverit, facillime distinguet.

3. *Inspiratio acute dolens. Respiratio parva, frequens, erecta, cum summo molimine.* Quia in inspiratione, dilatato pectore, aër in pulmonem ingrediens ejus vesiculas inflat, simulque asperam arteriam, ejusque ramos elongat, distrahitur inflammata hæc membrana, atque inde dolor acutus inter inspirandum nascitur. Verum & exspira-

tio

tio imdeditur, dum aër ex pulmone per angustatam inflammatorio tumore asperam arteriam minori copia transire potest, adeoque requiritur, ut majori celeritate exeat. Patet hinc ratio, quare in hoc morbo respiratio parva, & frequens fit, atque erecta cervice cum summo molimine fiat. Hæc est illa respiratio, quæ conspicua & sublimis *Hippocrati* vocabatur.

4. *Pulsus mire & cito vacillans. Angustiæ summæ, cita mors.* Ut in homine nato sanguis ex corde dextro in sinistrum venire possit, debet per pulmonis arteriæ angustias in venas transire, atque ut hic transitus libere fiat, requiritur pulmonis dilatatio per aërem inspiratum. Cum ergo illa impediatur in hac anginæ specie, difficilis erit per pulmonem sanguinis circulatio, unde pulmo incipiet infarciri sanguine a corde dextro expulso, minor copia sanguinis veniet in cor sinistrum, adeoque nec ex corde sinistro in aortam projicietur talis sanguinis quantitas, quæ dilatandis arteriis sufficit, hinc pulsus mire & cito vacillabit, & ob impeditum sanguinis liberum per pulmonalis arteriæ fines transitum summa nascetur anxietas; & tandem infarcto sanguine immeabili pulmone

suf-

ſuffocabitur circulatio, & cita mors veniet. Optime jam notaverat *Galenus* a) quod, quicunque ex vehementi angina ſuffocantur, varium habent, & rarum pulſum; ubi vero jamjam morituri ſunt, crebrum, atque inæqualem. Videtur & *Hippocrates* b) ſimilem anginæ ſpeciem notaſſe, quam ex calida & nitroſa defluxione ortam voluit, arteriam aſperam exculcerante. In hoc morbo enim dicit „ quod orthopnoea oboritur, ſiccitasque multa, & quæ ſub conſpectum cadunt, gracilia comperiuntur. Poſteriores quoque cervicis tendines contenduntur, ac tanquam in tetano intendi videntur. Vox quoque abrupta eſt, & ſpiritus parvus, ſpiritusque retractio denſa, & violenta oboritur. His arteria ulceratur, pulmo incenditur, neque extra aërem introducere queunt. " Patet enim ex hac deſcriptione aſperam arteriam affectam fuiſſe, neque ullum tumorem inflammatoriam in faucibus apparuiſſe.

a) Galenus de pulſibus ad tyrones bap. ultima.
b) Hipp. de victu acutorum.

Funeſtiſſimam autem hanc eſſe anginam, ex dictis ſatis patet, cum tantum diſcrimen adſit, ne aucto tumore inflammatorio ſubito ſuffocatur æger. Atque eo magis lethalem,

&

& citius, quo magis verfus fuperiora asperæ arteriæ hæferit malum; ibi enim imprimis circa glottidem, major eft fiftulæ hujus anguftia, adeoque a parvo etiam tumore obturari integre poterit. Summo ergo jure *Hippocrates* dixit. a) *Anginæ graviffimæ quidem funt, & celerrime interimunt, quæcunque neque in faucibus, neque in cervice quidquam confpicuum faciunt, plurimum vero dolorem exhibent, & orthopnoeam. Hæc nempe & eodem die, & fecundo, & tertio, & quarto ftrangulant.* Imo abfolute lethalem damnaffe videtur talem anginam *Celfus* b) dicens: *neque ita fervari poteft, qui fine ullo tumore febricitans ftrangulatur.*

a) Hipp. Coac. prænot. T. VII. p. 673.
b) Celfus L. II. c 6.

Hæc eft illa anginæ fpecies, in qua, crifi erronea, lympha coagulabilis fubito in tracheam tranffudat, atque integræ fæpe membranarum laciniæ ab ægris exfcreantur, aut poft mortem fecto cadavere deteguntur. Hinc membranofæ, polypofæ, trachealis anginæ nomine, apud auctores occurrit.

II.

INFLAMMATIO LARYNGIS.

1. *Vox acutissima.* Secunda anginæ inflammatoriæ species & communia habet cum priori angina, & propria signa. Dictum fuit in præcedenti paragrapho, anginam ab inflammata pulmonali fistula natam eo periculosiorem esse, quo proprius glottidi & epiglottidi hæreat malum, quanto magis ergo, si circa ipsam glottidis rimam. Signa ergo similia sunt, ut in præcedenti anginæ inflammatoriæ specie, cum & in hac angina liber aëris per fistulam pulmonalem transitus impediatur, atque pariter externa signa nulla adsint, cum aperto ore & depressa lingua, epiglottidis extremum tantum appareat; glottidis vero rima raro, vel nunquam conspici possit.

Bina tamen sunt, quibus hæc anginæ species a præcedenti distingui potest. Atque primum vox acutissima & stridula. Novimus enim, vocis tonum graviorem, vel magis acutum a varia magnitudine rimæ glottidis, & diversa celeritate aëris efflati pendere, quod etiam in instrumentis musicis, quæ inflantur, imitantur phonurgi.

Cum

Cum ergo vel tumente membrana interna laryngis, vel inflammatis musculis, qui claudendæ glottidis rimæ inserviunt, illa angustetur, vox tandem angustissima fieri debet, & ingrato stridore displiciens, qualis in cantoribus observatur, dum in minimam altitudinem elevare vocem conantur, tonos acutissimos formaturi; rubra enim & turgida, imo quandoque livida fere facie, suffocationem imminentem ob nimis arctatam glottidis aperturam testantur. Præterea cum tales ægri omni molimine respirationis instantem suffocationem avertere conantur, tanto majori celeritate ex pulmone per rimam glottidis pelli debet aër, quanto magis arctatum fuerit hoc spatium; unde iterum vocis acumen augetur. Ex his simul patet, quare inter loquendum & vociferandum dolor adeo augeatur, dum nempe aër majori impetu, & velocitate per loca hæc angustata & inflammata pellitur.

2, *Dolor in elevatione laryngis ad deglutitionem ingens, auctus inter loquendum atque vociferandum.* Illo tempore, dum deglutienda in pharyngem detruduntur, magna celeritate larynx attollitur, dum simul lingua, hoc tempore postica faucium urgens,

te-

retrorſum inclinat epiglottidem, ſicque binis his actionibus ſimul concurrentibus cavetur, ne aliquid ex deglutiendis in rimam glottidis delabi poſſit. Non mirum ergo, acutiſſimum dolorem ſentiri inter deglutiendum, dum inflammata larynx adeo velociter ſurſum elevatur. Quamvis autem elevata larynge ſequi debeat illi adhærens fiſtula pulmonalis, adeoque & inter deglutiendum dolor augeri, dum illa inflammata fuerit; tamen longe magis videtur moveri larynx, quam ipſa aſpera arteria inter deglutiendum, uti apparet, ſi digiti inter deglutiendum parti colli anteriori applicentur, ubi & larynx, & aſpera arteria tangi poſſunt.

Patet ergo, binas has anginæ ſpecies plurima ſigna communia habere, &, ſi inflammatio in aſperæ arteriæ partibus ſuperioribus hæreat, difficulter diſtingui poſſe. Præcipuum vero diſcrimen dare vocem illam acutiſſimam, & ſtridulam, dum larynx inflammata eſt. Quamvis enim & arteria aſpera inflammata ob arctatam viam acutior vox redditur, tamen dum aër ex pulmone expulſus hoc obſtaculo retardatur, minori celeritate, per glottidis rimam exit, adeoque non adeo acutus erit ſonus. Cæterum

li-

licet quis in diftinguendis binis his anginæ inflammatoriæ fpeciebus hallucinaretur, non adeo multum mali inde metuendum foret, cum ambæ funeftiffimæ fint, & eandem curationem requirant. Cum autem in binis illis anginæ fpeciebus, imminente jam fuffocatione, facie inflata, oculis fanguine fuffufis & prominentibus, lingua exferta, canium a rapidiffimo curfu anhelantium fpeciem referant miferi; hinc præ reliquis κυνάγχη hic morbus ab auctoribus vocatur.

Patet hinc ratio, quare *Hippocrates* a) dixerit, in *febribus derepente fuffocari*, neque deglutire poffe, absque tumore, malum eft.

a) Hipp. Coacæ prænot. T. VIII. p. 867.

Hæ funt anginæ, quæ fubtiliffime homines e medio tollunt, quod & *Sydenhamus* a) paucis nonnunquam horis fieri monet, licet fubitæ mortis in hoc morbo caufam non adeo tribuat affecto loco, quam copiofæ materiæ febrili in has partes depofitæ, & non fatis tempeftive adhibitis efficaciffimis remediis. *Tulpius* b) tamen dolebat, quod in natura pleni habitus, intempeftiva nocte, tali angina correpto, fruftra tentaffet optima quæque. Nihil enim non molitum, fed urgentior fuit

ne-

necessitas, & vehementior ab inclusa spiritu strangulatus, quam ut juverint ipsum vel sanguis mature ex utroque brachio detractus, vel incisa ranula, vel cucurbitulæ, gargarisationes, clysteres, cataplasmata, aliaque satis celeriter adhibita. Similem etiam casum vidi in homine quinquaginta quinque annorum, cui una cum deglutitione læsa vox acutissima & stridula aderat, cum febre non adeo intensa; frustra tentatis omnibus, paucarum horarum spatio periit. In convivio simili modo correptum hominem fuisse notaverat *Boerhavius*; dumque convivæ joci causa acutam vocem fingere miserum putabant, defecit, antequam ullum remedium adhiberi potuerit. Interim tamen rarius occurrunt funestissimæ illæ anginæ; longe frequentiores illæ observantur, de quibus in sequentibus aphorismis agendum erit.

a) Sydenham. Op. p. 287.

b) Tulpius observat. medicae. L. I. c. 51.

Utraque hac anginæ specie, ubi mali sedes nullo externo tumore se prodit, exposita, alias nunc persequemur species, quibus omnibus id commune est, ut insignis partium inflammatarum tumor oculis plerumque percipiatur.

III.

INFLAMMATIO MUSCULORUM ELEVANDO OSSI HYOIDI SERVIENTIUM.

1. Respiratio satis libera.

2. Deglutitio in prima actione suæ exercitationis acutissime dolens.

Vidimus antea in deglutionis actione elevari laryngem, sed & os hyoidis una cum ipsi annexis attollitur. Ubi ergo musculi huic actioni exercendæ destinati inflammantur, patet facile acutissimum dolorem nasci debere. Occurrunt tales anginæ, & longe frequentiores, quam priores recensitæ, in quibus ægri, dum deglutitionem minitantur, tamen præ doloris acerbitate toto corpore convelluntur. Cum autem illi musculi profundius recondantur, inspectis faucibus nullus sæpe tumor apparet: si nempe in his solis malum hæserit. Neque in colli exterioribus aliquis tumor conspicuus adest, ob eandem rationem. Plerumque tantum in uno latere talis affectus hæret; saltem sic in illis observari, quos hac angina laborantes tractavi, & quandoque decursum dolentis musculi inflammati ægri indicare norunt, saltem in initio morbi: po-

ſtea enim ſæpe contingit, ut & ad alia loca propagetur inflammatio.

Diſtinguitur autem hæc anginæ ſpecies a præcedentibus facile, quod reſpiratio ſatis libera hic maneat; neque acuta adeo, aut clangoſa vox ſit. Quamvis autem non adeo funeſta ſit hæc anginæ ſpecies, ac priores illæ, tamen non caret periculo; non tantum ob deglutitionem impoſſibilem, verum etiam, quia periculoſa metaſtaſi ſæpe in pulmonem vertitur morbus. Saltem in illis, quos hac anginæ ſpecie laborantes vidi, inveni ſubito plerumque, & abſque bonis ſignis evaneſcere dolorem, & deglutitionem liberrimam reddi; ſed ſuccedere orthopnœam, ſtertorem ingratum in pectore, & mortem. Si vero evaderent, non niſi cum magna difficultate, & peſſimis ſymptomatibus eluctabantur tales ægri. In homine illo, cujus mentio facta fuit §. 95. hæc anginæ ſpecies aderat, & in ſiniſtro latere colli dolentem plagam demonſtrabat, quæ ſuo decuſu a proceſſu ſtyloideo ad laryngem tendebat; nullo tamen tumore vel in faucibus, vel in collo apparente. Quamvis autem primis duodecim horis nulla febris adeſſet, ilico valida venæ ſectio inſtitueretur, ter etiam repetita in hoc ægro, licet

ſex-

ſexagenario, clysmata applicarentur omni trihorio, cucurbitis nuchæ applicatis, revulſio tentaretur, totum collum molliſſimis cataplasmatibus obvolveretur, ſemicupio uteretur ſæpius ex emollientiſſimis herbis cum aqua & lacte dulci decoctis; ſimilibusque continuo os internum collueret, fruſtra fuerunt omnia. Sed circa initium quartæ diei lætabatur miſer, quod liberrima jam foret deglutitio, avidiſſime potum oblatum aſſumens. Verum dolor aderat in pectore cum ſtertore; febris augebatur, & eadem die, quinta poſt meridiem die periit. Similes alios caſus vidi, & inter illos quosdam adhuc citius lethales: ſicque didici, & hanc anginæ ſpeciem licet reſpiratio libera maneret, ancipitem admodum eſſe; neque ſine ratione in *Coacis* haberi ſequentia: *in angina omnia pernicioſa ſunt, quæ non manifeſtum dolorem faciunt.* Simul etiam patet, has anginas non ideo funeſtas eſſe, quia deglutitionem lædunt (hoc enim ut in ſequentibus patebit, longe diutius tolerari poteſt); verum tunc lethales fieri, quando mala, & frequenti in his anginis, metaſtaſi in pulmonem vertitur morbus.

IV.

INFLAMMATIO PHARYNGIS.

1. Faucium inflammatio inſpectis faucibus apparens.

2. Reſpiratio ſatis commoda.

3. Deglutitio læſa.

4. Febris minus intenſa.

Ubi ergo inflammatur pharynx, poterit aperto ore conſpici poſterior ejus pars, quæ vertebris colli incumbit, adeoque detegi morbus. Verum etiam ex functionibus læſis idem cognoſcitur. Pharyngis enim uſus eſt admittere cavo ſuo cibos & potus, & dein eosdem per œſophagi tubum in ventriculum demittere. Cum ergo ſola pharynge inflammata in ſpirabilibus organis nullum vitium adſit, reſpiratio ſatis commoda erit, ſed deglutitio dolens; imo & impoſſibilis ſæpe omnino, dum inflammata hæc loca a tranſitu deglutiendorum, & muſculorum illis adhærentium actione, irritantur; unde repelluntur illa, quæ in fauces propulſa fuerunt, neque œſophagum ingredi poterunt. Verum ex pharynge patet via in nares, æque ac in oris cavum; unde frequenter in hac anginæ ſpecie, dum deglutienda huc pervenerunt, convulſis his

par-

partibus præ doloris acerbitate per nares redeunt; cumque laryngis rima hic patula ſit, ſubita tali expulſione facta caveri nequit, quin & quædam ex deglutiendis in illam decidant; unde violentiſſima & ſuffocans fere tuſſis oritur; ſic ut ægri, ſemel has moleſtias experti, vix poſtea audeant tentare deglutitionem. Defectus hinc cibi potusque ingerendi naſcitur, adeoque nutrimenti defectu, & liquidi penuria tabeſcit corpus, & exſiccatur.

Plerumque tamen non obſervatur adeo intenſa febris in hac anginæ ſpecie, ac in illis, quæ præcedentibus paragraphis enumeratæ fuerunt: cumque libera hic maneat reſpiratio, non adeo ſubitæ mortis periculum eſt, cum balneis, fomentis gargarismis, clysmatibus &c. liquida ingeri poſſint, ſicque caveri nimia exſiccatio, & nutrimenti defectus utcunque ſuppleri; unde *Hippocrates* a), poſtquam damnaverat pernicioſiſſimas illas anginas, in quibus nec in faucibus, nec in collo quidquam conſpicuum appareret, ſubjungit ſequentia: *quæcunque vero in cæteris quidem ſimiliter dolorem exhibent, tument vero, & in faucibus rubores excitant, admodum quidem*

dem exitiales, prioribus tamen diuturniores sunt, si ingens rubor fuerit.

a) Hipp. in prognoſt. T. III. p. 673.

Ubi autem inflammatio non in pharynge, ſed in continuato ipſi œſophagi tubo hæret, omnia ſimilia ſequuntur mala. Locus autem affectus oculis non patet, ſed acri dolore, dum deglutienda huc pervenerunt, norunt illum ſatis indicare ægri. Ubi autem ſuperior pars œſophagi inflammata eſt, dolor ſentitur, non tantum illo tempore deglutitionis, dum ex pharynge deglutienda huc veniunt, verum etiam, dum in prima deglutitionis actione larynx attollitur, uti ex ſitu cognito harum partium facile patet. Dolentem autem ab inflammatione œſophagum a degluitis ſic irritari, ut per nares illa repellantur denuo, jam *Galenus* a) notaverat, de hujus partis affectibus agens, monetque illud ſymptoma adeſſe, ſive adjacentibus tumoribus anguſtatus fuerit, ſive inflammatione affectus ipſe, propria anguſtia, non a vicinis partibus acquiſita, torqueatur. Hæc autem imprimis ſigna hujus mali poſuit. b) Graviſſimus dolor inter deglutiendum infeſtat, accedente difficili tranſitu; præſertim ſi ſuperius jacens æger quidpiam deglutire conetur. Monet autem

tem eodem in loco ſitim adeſſe, & multi caloris ſenſum, & febrim non adeo calidam, quæ ſiti proportione non reſpondet. Cum autem œſophagus in ſuo decurſu vertebris incumbat, addidit, omnes, qui dolorificum in hac parte affectum habent, dorſi quoque dolorem ſentire.

a) Galenus de locis affect. Chart. T. VII. p. 690.
b) Idem Ibidem p. 691.

V.

INFLAMMATIO TONSILLARUM, UVULÆ, VELI PENDULI.

Præter ſymptomata priorem ſpeciem comitantia, alia adhuc habentur ſigna, quibus hæ anginæ inflammatoriæ ſpecies dignoſcitur.

1. Deglutitio & reſpiratio læſa.

2. Pituitæ ſtillicidium ad tonſillas perpetuum.

3. Dolor acutus in aure interna. Crepitatio. Surditas.

Omnium frequentiſſima eſt hæc anginæ ſpecies, & cæteris paribus præcedentibus longe minus periculoſa, quamvis ſæpe ſatis moleſta Ubi hiante ore, & dorſo poſtremo linguæ depreſſo ope ſpecilli fauces inſpiciuntur,

tur, apparet velum palatinum pendulum, uvulam in medio pendulam habens, & ex fundo laterali ad poſtrema linguæ aſſurgunt, utrinque una, arcus ſatis anguſtos formantes, in quorum medio uvula pendet. Retro poſt columnas anteriores, duæ aliæ poſteriores ſimiles aſſurgunt in arcus, & in uvulam abeunt, & ſuperius cum prioribus & anterioribus fere evaneſcunt. In medio intervallo inter anteriores & poſteriores columnas tonſillæ locantur utrimque. Si jam inflammatio unam, vel plures ex partibus deſcriptis, occupet, impedietur deglutitio, quia ad illam libere propagandam requiritur, ut velum pendulum tendi & explicari poſſit quaquaverſum ſicque impedire deglutiendorum per nares expulſionem. Verum & uvula varios motus ope ſuorum muſculorum deglutitionis tempore exercet; hinc deglutitio læditur his partibus inflammatis. Sed & reſpiratio difficilis erit, ſi partes illæ multum intumuerint: nam aër ore inſpiratus per illud ſpatium debet tranſire, quod inter radicem linguæ, tonſillas, velum palatinum & uvulam interjacet, adeoque, admodum imminuto a partibus inflammatis & tumentibus hoc ſpatio, reſpiratio incommoda fiet. Cum autem productio membranæ inter-

næ

næ narium, veli penduli palatini posticam partem tegat, valida inflammatione hic nata, tumebit & narium membrana, sicque narium aperturam in faucibus multum minuet; imo aliquando integre obturare poterit, ut in catarrho laborantibus quandoque observatur. Cum autem rarissime sic occludatur ab his partibus tumentibus faucium apertura, ut aëri omnis omnino aditus intercludatur, hinc respirare adhuc possunt ægri, sed cum molestia. Patet hinc etiam, quare minus periculosa sit hæc anginæ species, cum deglutitionem longe magis quam respirationem lædere soleat; cumque omnes hæ partes aperto ore conspici, hinc communi sensu omnes medici minus periculosas statuerunt illas anginas, in quibus tumor & rubor manifeste apparebant in faucibus. Tonsillæ tumentes non tantum in faucibus conspici possunt, verum etiam in colli exteriori parte sub maxillæ angulo manifeste sæpe protuberant.

Pituitæ stillicidium ad tonsillas. Pituitæ autem ad cava tonsillarum stillicidium perpetuum & copiosum, & exscreatio frequens in hac anginæ specie imprimis molesta sunt. Velum pendulum palatinum, uvulam, linguæ radicem cryptis mucosis plena esse, ex

ana-

anotomicis notum eſt; & imprimis tonſillas, quæ magnam copiam muci præbent, quo deglutienda inuncta & lubricata facilius per pharyngem & œſophagum tranſire poſſunt. Dum ergo inflammatæ tonſillæ in tantos ſæpe tumores elevantur; dilatata hæc vaſa, & inflammatorio dolore irritata, majorem copiam muci exprimunt; eundem enim effectum ſequi & in aliis corporis partibus ſic affectis obſervatur. Augetur autem pituitæ illius copia, quia ob dolorem deglutitio impedita eſt; unde vel hiante ore continuo deſtillat, vel circa fauces accumulata invitos ægros cogit, ut deglutire tentent ſummo cum dolore irritatis partibus a copia & tenacitate aggeſti muci. Quantam autem doloris acerbitatem patiantur miſeri ægri, dum coguntur inflammatis his partibus deglutitionis nixum facere, in ſe ipſo expertus eſt *Monro* a), qui hac anginæ ſpecie laborans, pluribus etiam anomalis ſymptomatibus ſtipata, fatetur, quod non potuerit evitare frequentem ſalivæ & muci deglutitionem, licet omni cum cura caveret; unde tantus naſcebatur dolor, ut ad ſingulos deglutitionis nixus totus lectus concuteretur a valido tremore corporis, & largo ſudore madeſceret cutis.

Hinc

Hinc licet doloris ſatis patiens foret, cogebatur de lecto ſurgere, & antrorſum inclinato capite, atque aperto ore, dimittere ſalivam, ut evitaret intolerabiles cruciatus. Perpetuum illud copioſæ pituitæ ſtillicidium in ſimilibus anginis videtur efeciſſe, ut veteres medici anginarum cauſam materialem poſuerint hanc pituitam, quam a capite defluere credebant. Sic dixit *Hippocrates* b) *oritur autem angina, quum pituita in capite agitata, deorſum confeſtim fluxerit, & in maxillis ac circa cervicem conſtiterit. Hic ſalivam deglutire non poteſt, violenter autem reſpirat, ac ſtertit, ac interdum etiam eum febris detinet.* Et paulo poſt addit ſequentia: *Tonſillæ autem, & partes ſub lingua ſitæ, gingivæ, & lingua, & quæcunque hujusmodi hoc loco conſiſtunt, illæ omnes partes a pituita ægrotant. Pituita autem ex capite deſcendit &c.* Ex dictis hactenus patet pituitam illam effectum potius morbi eſſe, quam cauſam.

a) Medical. Eſſays. T. III. p. 343.
b) Hipp. de morbis T. VII. p. 553.

Alterum ſymptoma, quod hanc anginæ ſpeciem comitari ſolet, eſt dolor acutus in aure interna, & via eo tendente a faucibus.

Ex

Ex anatomica enim tubæ Euſtachianæ partiumque adjacentium cognitione patet, quare inflammato velo pendulo palatino, malum ad illas etiam partes pertingat, & dolor acutus in aure interna, & toto tractu tubæ Euſtachianæ, & crepitus etiam percipiatur, dum deglutitionis actione moventur partes inflammatæ. Obſervavit ab hac cauſa natam ſurditatem *Valſalva* a) in patricio viro laborante polypo narium. Quo enim magis increſcebat polypus ad uvulam usque extenſus, eo magis comprimebat harum tubarum orificia; unde in dies auditus minuebatur, tandemque omnino ſurdus evaſit æger. Longe autem certior ea res conſtitit in plebejo homine, cui ulcus in ſiniſtra parte veli penduli ſupra uvulam natum ſic eroſerat has partes, ut ulceris cavum cum extrema ſiniſtræ tubæ orificio communicaret. Quoties enim turunda ulceris cavitati intruſa obturabat tubæ aperturam, toties illico ſurdus erat aure ſiniſtra, & manebat toto tempore, quo turunda in hoc loco hærebat; amota vero turunda, priſtinum auditum recuperabat ſtatim.

a) Valſalva de aure humana. p. 90.

Verum nata in angina inflammatoria surditas ab hac causa tollitur, sedata inflammatione; saltem utplurimum. Per plures enim dies, dum suppurabatur talis angina, surditatem perstitisse novi; rupto abscessu tamen restitutus iterum auditus.

Ex illis, quæ in paragraphis præcedentibus habentur, patuit, anginas inflammatorias sic in quinque species distribui, pro variis partibus affectis. Simul enarrata fuerunt illa symptomata, quæ comitantur singulas; atque ex harum observatione habetur anginarum evidens diagnosis. Simul etiam ex iisdem poterit erui prognosis, quæ docet omnium periculosissimas esse illas, quæ respirationem impediunt; minus autem discriminis habere reliquas anginas, quæ solam deglutitionem, libera manente respiratione lædunt. Inter illas vero anginas, quæ respirationem impediunt, pessime habetur, quæ circa laryngem hæret; periculosior inter anginas, deglutitionem solam lædentes, æstimatur illa, quæ absque ullo tumore vel rubore in faucibus conspicuo acerbissimum dolorem facit in prima deglutitionis actione. Atque etiam constitit in prognosi pro generali axiomate haberi posse, omnium maxime lethales esse

anginas inflammatorias, quæ nullum tumorem vel ruborem conſpicuum habent; reliquas autem, quamvis ſatis moleſtas, ſæpe minus diſcriminis habere.

Quamvis autem occurrant ſæpius anginæ illæ, hactenus deſcriptæ, ſolitariæ; tamen quandoque contingit, inflammationem plures partes ſimul occupare in ipſo etiam morbi initio; aliquando etiam obſervatur, natam circa hæc loca inflammationem latius diſpergi, ſicque concurſum naſci plurium malorum. Patet autem ſatis, eo difficiliorem curatu fore morbum, & lethali exitu magis funeſtum, quo plures harum anginarum ſpecies ſimul conſpiraverint, ſimulque eo plura, & ſævіora ſymptomata ſecutura eſſe. Sequenti autem paragrapho enumerabuntur præcipua, quæ ex triſtiſſima tot malorum complicatione obſervantur, antequam mors finem imponat his anguſtiis, omni humana patientia certe majoribus.

EFFECTUS INFLAMMATIONIS.

Dum in angina inflammatoria reſpiratio impeditur, pulmo ſatis explicari nequit; unde cor dextrum non poterit contentum ſuo

ca-

cavo ſanguinem expedire, propellere per arteriæ pulmonalis anguſtias in cor ſiniſtrum; adeoque incipiet accumulari ſanguis in pulmone, & cordis dextro cavo. Non poterit ergo auricula dextra & ſinus venoſus dexter evacuari, adeoque & in his cavis fiet ſanguinis aggeſtio. Quare ſanguis venoſus a toto corpore redux per venam cavam ſuperiorem & inferiorem non poterit ingredi hæc cava jam repleta; diſtendentur ergo & venæ. Sed omnis ſanguis venoſus a labiis, lingua, facie redux, per jugularem imprimis externam, redit ad cor, dum ſanguis a capitis interioribus partibus per jugularem venam internam movetur. Ubi ergo impedita reſpiratione ſanguis per venas jugulares libere tranſire nequit, omnia vaſa ſanguinea, externarum atque internarum capitis partium diſtendentur magis magisque; cum arteriæ pergant ſanguinem adferre, dum interim venæ illum reducere nequeunt. Tumebunt hinc fauces, labia, lingua &c. Oculi rubebunt ſanguine ſuffoſi, & horrendum in modum protuberabunt, lingua tumens ore amplius contineri non poterit; hinc fœdo ſpectaculo livida & intorta prominebit, ſpuma ſimul ex ore prodeunte. Cum autem eandem cauſam vaſa

ſan-

ſanguinea per encephalum diſtributa ſanguine turgeant, comprimetur mollis encephali pulpa; unde viſus, auditus, tactus hebetes fiunt, omnesque cerebri functiones turbantur, tandemque delentur integre; ſtertor autem adeſt, dum viſcida ſpuma totum os, fauces, & pulmo repleri incipiunt, & diſtentis vaſis ſanguineis pulmonis, aërea hujus cava, anguſtantur. Unde miſeri ægri omnia ea patiuntur, ac illi, qui laqueo ſuffocantur; in hoc tamen longe infeliciores, quod lente & per gradus aucta hæc mala pati debeant. Ubi autem non adeo impedita reſpiratione, partes inflammatæ ſi tumentes vicinas ipſas externas jugulares venas anguſtant, tunc ab encephalo redux ſanguis adhuc ſatis libere per internas venas jugulares tranſire poterit, dum interim facies, labia, lingua, oculi turgent admodum. Verum ubi aliquo tempore duravit externarum jugularium venarum compreſſio, repletis omnibus vaſis ſanguineis, quæ externis capitis partibus proſpiciunt, omnis ſanguis, cum ex divino corde per arterias carotides pellitur, per internæ carotidis ramos tranſibit, adeoque omnes cerebri functiones turbabuntur ob nimiam repletionem. Omnia hæc ſymptomata ſucceſſive ſic fieri videmus,

ſi

si in homine etiam saniſſimo, collari nimis adſtricto, venæ jugulares externæ comprimantur. Cum autem & plures venæ colli, cervicis, & ſuperioris partis pectoris, tam ad muſculos, quam ad integumenta harum partium diſtributæ, in jugulares venas ſe exonerent, patet ratio, quare rubor, tumor &c. per hæc loca diſpergantur. Poſtea in cura anginæ inflammatoriæ notabitur, pro bono ſigno haberi, ſi collum & pectus rubeant: ſed patebit tunc, hoc tantum verum eſſe, quando materia inflammatoria, internas partes obſidens, bona metaſtaſi ad exteriora tranſit, tuncque ſimul ſemper adeſt levamen partium prius obſeſſarum. In hoc autem caſu, dum impedito ſanguine per pulmones tranſitu, adeoque venarum evacuatione ſublata, talis tumor & rubor in collo, cervice, & pectore oriuntur, nullæ anginæ ſuffocantis levamen percipitur, adeoque merito peſſimi ominis hoc ſignum habetur. Ita in *Anginoſa* a), quæ apud Bitonem decumbebat, prima die jam aderat tumor ſubruber, durus, in cervice & utraque pectoris parte; verum extrema frigida & livida, reſpiratio ſublimis, potus per nares rediens, & deglutitio impoſſibilis ſimul aderant; adeoque conſtabat, non

ex bona metaſtaſi, ſed ex augmento morbi hæc ſymptomata originem traxiſſe; unde & quinta die periit. Cum autem frontales venæ & raninæ dictæ ſub lingua decurrentes, jugularium venarum rami ſint, patet facile, quare & illæ varicoſæ tumeant.

a) Hipp. Epid. 3. Aegr. 7.

Cum autem hæc ſymptomata in peſſimis anginis inflammatoriis obſervata accuratiſſime collegerunt veteres medici. Ita *Hippocrates* a) habet ſequentia: *A cynanche vocata homo ſuffocatur, & in faucibus magis urgeri videtur, & neque ſalivam attrahit, neque aliud quidquam. Et oculi dolent, & prominent velut ſtrangulatis; & per eos intente intuetur, neque eos convertere poteſt: crebro ſingultit & exilit, facies & fauces intenduntur, imo etiam collum. Intuentibus vero nihil mali habere videtur; & cernit, & audit obtuſius, & præ ſuffocatione non intelligit, neque quid dicat, audiat, aut faciat; ſed jacet ore hiante ſalivam effundens. Hæc cum faciat, quinto, aut ſeptimo, aut nono die moritur.*

a) Hipp. de morbis L. III. T. VII. p. 568.

Cum autem tanta portio ſanguinis corde ſiniſtro expulſi per carotides & vertebrales arterias caput petat, ut unam tertiam totius

cre-

crediderit *Malphigius* ad minimum æquare; patet ratio, quare impedito ſanguinis venoſi in cor dextrum tranſitu, facies, oculi &c. magis turgeant & citius, atque hebetentur cerebri functiones, antequam in reliquo corpore magnæ mutationes adhuc obſerventur.

EXITUS VARII ANGINÆ INFLAMMATORIÆ.

Exitus primæ ſpeciei.

Varios nunc modos exponimus, quibus diverſæ anginæ inflammatoriæ ſpecies terminari ſolent; atque omnium primo de vario anginæ trachealis eventu ſermo erit: ſequentes autem in hac anginæ ſpecie exitus obſervantur.

1. *Reſolutio.* Omnis enim cura antiphlogiſtica in eo verſatur, ut in benignam ſolutionem inflammatio abeat. Atque eo certius hunc fauſtum eventum ſperare datum eſt, ſi ab initio par morbi vehementiæ medicina fiat. At non ſemper eſt in medico, aberrantes naturæ motus coercere, aut omni etiam ſtudio adhibito orituros abſceſſus prævertere. Hinc alia, plerumque infauſta criſis accidit, omni

ævo obſervata, at noſtris temporibus ſolertius deſcripta; criſis nempe *erronea*, communis omnium inflammationum exitus, a lymphæ coagulabilis ex ſanguine ad inflammatas partes metaſtaſi. Intereſt ſane, ut in dilucitanda hac erronea criſi paulo longior ſim, cum & reliquorum viſcerum inflammationes, ex ordine nunc pertractandæ, criſes tales erroneas paſſim exhibeant.

Ut autem clarius pateat, quænam ſit harum metaſtaſium natura, primo de indole hujus erroneæ criſeos univerſim quædam exponam, additis dein iis accidentibus, quæ in hoc anginæ inflammatoriæ exitu particulariter obſervantur.

Præclare de hac doctrina meritus eſt *Cl. Michaelis* a), qui proprio libello eruditiſſime hanc doctrinam proſecutus eſt, atque tum de criſi hac erronea in genere, tum præcipue de membranacea angina ex omnibus ſcriptoribus varias obſervationes, diverſasque auctorum opiniones in unam ſummam collegit, atque recenſuit.

a) Cl. Michaelis de angina polypoſa, ſive membranacea Götting 8. 778.

1. Inorganicæ plerumque concretiones ſunt, fluidi cujusdam congelatione ac inſpiſſatione ortæ. Quamvis *Morgagnius* etiam atque *Stollius* a) evidenter continuatis rubris vaſis intimam illarum ſubſtantiam permeari viderint.

a) Stoll ratio medendi T. III. p. 373.

Non raro fluidiori forma in variis corporis humani cavis reperitur, ut pultis adinſtar contenta viſcera ubique obducat. Quamprimum autem materies hæc denſius coagulatur, pſeudomembranæ naſcuntur, quibus tanquam totidem præternaturalibus vinculis viſcera inter ſe, atque ambientibus partibus nectuntur. A tranſſudante enim atque dein coagulata materia in inflammationibus e. g. thoracis, pulmones intermedia pſeudomembrana firmiſſime cum pleura cohærent. Exemplum inſigne repertæ ejusmodi pſeudomembranæ, *Stollius* a) adfert. Sartor 27. annorum ex peripneumonia decumbens, octava morbi die mortuus. Sectum cadaver ſequentia exhibuit. „ Reclinato ſterno apparebat pſeudomembrana pleuram anteriorem & lateralem utriusque cavi thoracici obveſtiens, flavicans, mollis, facile & deglubenda, & lacerabilis, quæve videbatur eſſe

re-

recens nata. Infra pulmonem utrumque, qua feptum transverfum refpicit, reperta membrana priori omnino fimillima, & pulmonum bafim cum diaphragmate leviter connectens. Membrana alia, fed tenaciffima, fex hic inde lineas craffa, & e plurimis veluti laminis conflata, ægerrime, & non nifi magna adhibita vi dilaceranda anteriorem pericardi faciem, & vicinam diaphragmatis portionem obtegebat, cum iisque firmiter cohærebat, ita tamen, ut absque alterutrius læfione potuerit deglubi. Hæc membrana ex albo flavicabat, & *plurimis, manifeftiffimis*, nudoque oculis confpiciendis fanguiferis vafis in ramulos excurrentibus, & per omnem ejusdem membranæ fubftantiam dimiffis, interftinguebatur. Hanc vetuftiorem membrana alia tegebat, recens nata, facile laceranda, absque vafculis, & flava.

a) Stoll ratio medendi T. III. p. 390.

3. Lymphaticam harum concretionum naturam effe, primus omnium *Senac* a) ftatuit, cum polypos cordis alios rubros, feu fanguineos, alios albos, feu lymphaticos effe, demonftraret. Maximam affinitatem lymphæ hujus coagulabilis cum crufta pleuritica obfervari, idem *Senac*, inftitutis in hunc

finem

finem experimentis comprobavit. Aliorum etiam experimenta hoc confirmant. b) Non raro iisdem in cadaveribus, quorum in aspera arteria polypi reperiuntur, pulmonum sanguinea vasa, materia caseosa alba, illi, qua polypi conflati sunt, simillima, turgent, eadem etiam materies, iisdem in subjectis, pulmonum aliorumque viscerum crusta firma tegit; eadem denique materies, dum viveret ægrotus, in vasculo sanguinem vena effluentem excipiente, sub forma corii pleuritici apparuit. c) Concretiones denique istas, quibus pulmones cum pleura conglutinantur, lymphaticæ originis esse experimento a Birchio instituto, & in magno Halleri opere physiologico relato, extra omne dubium ponit. Aperiebat ille in vivo cane ductum thoracicum, ita ut lympha in pectoris cavitatem effunderetur, & intra unius diei tempus, pulmones cum pleura conglutinatas vidit.

a) Senac. Traité du Cœur. Paris. 1749. Tom. II. p. 446.

b) Celeberrimi Anatomici anglopolitani Levelingii diss. de crusta inflammatoria.

c) De Haen. ratio medendi T. II.

Pauca nunc addam, quæ anginam membranaceam proprius spectant.

1. Primam anginæ membranaceæ mentionem apud *Tulpium* a) inveniri arbitratur *Michaelis*. Narrat enim ille casum sequentem. „ Tenuis humor a capite stillans excitavit sartori acerrimam tussem, ejicientem plurima crassæ, albæ, ac glabræ alicujus membranæ fragmenta, in quorum naturam eo curiosius inquisitum, quo majore erupuerint copia, suspicantibus aliis a tunica costas succingente, aliis vero, vel a pulmone, vel a tunica asperam arteriam tegente illa originem traxisse. Verum enim vero haud quaquam veritati videbatur consonum, internam pectoris membranam potuisse exedi, ac frustulatim exscreari, sine acerbo doloris sensu, aut summa spiritus trahendi difficultate, de quorum tamen neutro conquestus fuerat æger. Pulmonis vero involucrum, ut erat tenuius, quam crassis his fragmentis ut compararetur, ita fuit parenchyma ipsius etiam mollius, quam ut tam acrem destillationem tulisset sine cruore, aut ulcere. Quibus cum destituerentur sputa, restabat sola aspera arteria, quæ fragmenta hæc suppeditasset ex interna sua tunica. Quæ sententia eo fuit verosimilior, quo præter continuam tussim, majus fuit vocis impedimentum, exasperatis impense a se-

ferina & acri destillatione instrumenti ipsius formationi destinatis; quam efferam delabentis humoris vim deinceps etiam ægerrime refrenarunt, vel maxime lenia eclegmata, quorum tamen continuo usu, si non ex toto debellatum, plurimum saltem imminutum fuit molestum hoc vocis fauciumque vitium. At quis non miretur, quæ humoris hujus fuit sævitia, pulmonem non contraxisse ulcus? neque ex adapertis venarum oris erupisse sanguinis sputum? nedum bronchia aliquam inde sensisse offensam? verum omnem impetum substitisse in lubrica ac declivi hac asperæ arteriæ tunica? quæ alioquin nullam destillationem impedit, recta ad pulmonem descendere, sed cuicunque humori liberum concedit transitum.

a) Tulpii observat. L. V.

Post *Tulpium* varii auctores suas de hac anginæ specie observationes communicarunt. En! brevem harum observationum catalogum, ut is, qui singulas observationes perscrutari voluerit, atque diversas auctorum opiniones inter se comparare, juxta seriem annorum, operam hanc possit suscipere.

An-

Anno 1735. *Struve* medicus Augustæ Vindelicorum morbum hunc una vice observavit, & in Actis N. C. vol. I. descripsit, nec tamen melius Tulpio veram morbi indolem perspexit.

Anno 1749. Medicus Italus *Cl. Ghisi* morbi hujus naturam, quem epidemicum observaverat, accurate descripsit. *Lettere mediche. In Cremona.* 1749.

Anno 1764. Upsaliæ scriptum academicum prodiit, Præside *Aurivillio.* Respondente Wilke. *De angina infantum in patria recentioribus temporibus observata.*

Eodem tempore in novis actis naturæ curiosorum cl. a *Bergen* morbum epidemicum descripsit, qui nuper Frankofurti ad Mœnum grassatus fuerat.

Anno 1765. Hanc anginæ speciem singulari commentatione descripsit. *An Inquiry into the Croup.*

Eodem etiam anno, Medici Sueci, in relationibus, quibus singulis annis summum regni senatum de rei medicæ per totum annum constitutione atque ratione, certiorem reddunt, hujus morbi mentionem facere ceperunt, ita ut ab hoc inde tempore, plu-

res

res de hac angina obſervationes egr giis iſtis in annalibus medicis occurrant. *Beræ-talſer ſtill Rillſens ſtaender anno* 1765.

Anno 1779. *Ruſch* diſſertation on the *ſpasmodic aſthma*, Londin.

Anno 1771. *Grauford diſſert. de Cynanche ſtridula.* Edinburgi.

Anno 1771. etiam prodiit tertia editio *Roſenii Anweiſung zur Kur und Kenntniſs der Kinderkrankheiten, aus dem Schwediſchen überſezt von Murray*, peculiari de hac angina commentatione aucta.

Anno 1772. *Bæck & Salamon* in actis ſocietatis *ſcientiarum ſuecicæ*, ſuas obſervationes publici juris fecerunt. Atque etiam Cl. *Calliſen* primo *volumine Actorum Hafnienſium.*

Anno 1775. Breviſſime hunc morbum deſcripſit Cl. *Buchan* in opere de domeſtica medicina. *Domeſtic Medicine, or a treatiſe and the pervention & cure of diſeaſes. Lond.* 1776. Cujus libri germanica enim exſtat verſio.

Auno 1778. Viri celeberrimi *Chr. Frid. Michælis Liber de angina polypoſa, ſive membranacea prodiit.*

Anno

Anno 1787. *Stollius* in abfolutiffimo fuo de febribus opere morbum hunc *aph.* 97. ad inflammatoriam anginæ trachealis fpeciem retulit, illiusque exitum, qui crifi erronea fit, *aph.* 104. adnotavit. Non obftat, varias huic morbo febres fubinde complicatas obfervari: communis enim eft omnium inflammationum exitus, lymphæ coagulabilis tranffudatio, ut de genere, ad quod hic morbus pertineat, mihi nullum dubium fuperfit.

2. Hactenus de hiftoria hujus morbi: fubftantia autem harum concretionum poft mortem, fectis cadaveribus, varia reperta eft, varii coloris, formæque variæ. Membranacea plerumque eft fubftantia; figura tubuliformis, loci figuræ, cui hæ concretiones innafcuntur, perfecte refpondens; fubinde longiffima hæc membrana, quæ in fuperiori laryngis parte initium capit, & continuo tramite ad ultimas usque bronchiorum ramifacationes defcendit.

3. Neque aliæ etiam partes vicinæ a fimili vitio immunes inventæ funt. Circa glottidem fubinde omnia tenaci muco obducta funt. Aperto thorace nonnunquam pul-

pulmones repleti erant albida materie, quæ omnes bronchiorum ramificationes obturabat; has si exprimeres, sæpe paululum sanguinis una exprimebatur.

4. Imo in ægris ex hac anginæ specie decumbentibus, aliæ subinde vere lymphaticæ metastases observatæ fuerunt. Sic a *Stario* in *Philosophicis Transactionibus* exemplum habetur, ubi in morbo huic, de quo nunc agimus, ægritudini simillimo, non raro metastasi ad externam corporis superficiem facta, concretio membranacea maxima, aperte lymphatica, ea circa loca generabatur, quibus vesicatoria applicata erant, & hujus quidem membranæ indoles, perfecte cum indole illius corporis membranacei conveniebat, quod iisdem in hominibus fistulam aëream infestabat. Monendum etiam, eodem tempore infantes aliquos alio laborasse morbo, cui magna quoque cum angina membranacea similitudo intercedebat. Isti nempe infantes, etsi cum aliis hoc morbo laborantibus, eadem in domo degerent, angina tamen membranacea immunes manserunt; ejus autem loco alio nostro simillimo afficiebantur. Tanta enim iis ad externam corporis superficiem devehebatur lymphæ copia, ut præcipue cum emollien-

lientibus decubitus promoveretur, insignis dorsi ac cervicis pars præternaturali membrana tegeretur, orirenturque hæmorrhagiæ, ob nimiam sanguinis lympha carentis tenuitatem, lethales. Nec tacendum denique, quod summa fuerit in nostro morbo excretionum criticarum lymphaticarum utilitas. Nam præter copiosam urinam ac sudores, summum etiam levamen attulisse, quibus morbus noster hic judicabatur, sputa vere lymphatica, crustæ pleuriticæ simillima, Cl. *Ghisi* monet.

Anceps omnino crisis hujus erroneæ eventus est; plerumque enim ita subito obrepit, ut æger continuo suffocetur; neque certa habentur orituræ metastaseos signa, atque si etiam haberentur, prævertere hanc ruinam in medici potestate haud esse existimo. Si tamen hæc lympha coagulabilis parciori copia, lentiusque transfudat, spes aliqua superest, ut coagulatæ lymphæ filamenta screatu sensim ejiciantur, atque ægri hoc modo serventur.

3. *Tertius modus*, qua hæc species solet terminari, abscessus est, communis omnium inflammationum exitus. Varium ab abscessu in trachea orto periculum imminet, ne a magnitudine asperam arteriam comprimentis,

tis, aut a pure in tracheam effuso æger suffocetur; vel suppuratio aut neglecta, aut male curata in phthysin trachealem, atque ipsam tandem, malo latius serpente, in pulmonum consumptionem abeat.

EXITUS ANGINÆ SECUNDÆ SPECIEI.

Laryngis inflammatio eosdem habet exitus, quos in prima anginæ specie observamus, resolutionem nempe benignam, suppurationem, atque transsudantis lymphæ coagulabilis erroneam crisin. At præterea aliud periculum imminet ob vicinam glottidi inflammationem; tumor enim inflammatorius glottidis rimam elidit, atque ægrum mox in morbi initio non raro suffocat. Alius autem funestus hujus inflammationis exitus *Gangræna* est. Novimus autem, ubi malum in talibus locis hæret, quæ minime sub conspectum cadunt, in gangrænam transituram esse, si vehementia adfuerint symptomata, ut dolor summus, & febris acutissima; eademque absque diminutione per biduum aut triduum perstiterint, neque interim suffocatur æger. Præsentem autem jam gangrænam novimus, si eadem symptomata subito sine bonis signis cessent;

ſent; dolor v. g. abſit, deglutitioni vel reſpirationi, antea difficillimis, major redeat libertas; neque tamen ulla ſigna docent, per metaſtaſin morbi materiam ad alia loca tranſiviſſe. Diagnoſin hanc confirmant, facies cadaveroſa, extremarum corporis partium frigus & livor, pulſus debilis & inæqualis, quæ lethalem in his locis gangrænam comitari ſolent. Malum medelam non capit.

EXITUS TERTIÆ ET QUARTÆ ANGINÆ SPECIEI.

Si vero muſculi elevando oſſi hyoidi, & laryngi inſervientes, aut ipſa pharynx inflammatur, omnes illos exitus inflammationis, qui inflammatis muſculoſis partibus ſolent contingere, in his etiam anginæ ſpeciebus frequenter obſervantur. Nihil autem in harum partium inflammatione peculiariter accidit, de quo aut in prioribus anginæ ſpeciebus expoſitis, dictum non ſit, aut in enumerandis exitus modis, quibus quinta anginæ ſpecies terminari ſolet, mox dicatur.

EXI-

EXITUS QUINTÆ ANGINÆ SPECIEI.

Lyſis & criſis erronea etiam in inflammatione tonſillarum, uvulæ &c. obſervatur. At omnium autem frequentiſſime tonſillarum ſuppuratio occurrit; vario eventu, prout aut introrſum, quod ſæpiſſime, aut extrorſum, quod quandoque contingit, pus effunditur. Si prius, metus eſt, ne pus in glottidis aperturam dilabatur, cum præſentaneo ſuffocationis periculo; hinc omni opera curandum eſt, ut antrorſum rumpatur, & in oris cavum eructet collectum pus. Ejusmodi autem abſceſſus continuo remediorum emollientium uſu aut ſponte rumpuntur, aut *pharyngotomo* debent pertundi. Lanceola autem pertundere tales abſceſſus in imis faucibus periculoſum eſſet, cum aliæ partes facile vulnerari poſſent, dum ægri præ anguſtia, dolore &c. movent ſe. Invenerunt ergo chirurgi inſtrumentum, quo tutiſſime hoc perfici poſſit. Tubo enim cavo ſatis longo occultatur lanceola, quæ per alterum ejus extremum apertum protrudi poteſt, ſimulque pro lubitu ſic firmari, ut nonniſi ad unam alteramve lineam emineré poſſit, prout magis minusve profunde in locum ſuppuratum demergere convenit lan-

ceolam. Unitur autem lanceola elateri, qui facit, ut aperto abſceſſu, dum digitum prementem removet chirurgus, ilico in tubum retrotrahatur lanceolæ cuſpis, & occultetur denuo. Sic nullum periculum eſt vulnerandi partes vicinas, & ad quemvis locum in faucibus conſpicuum lanceolæ cuſpis commode poſteſt applicari. Inſtrumentum hoc *Garengeot* a) deſcripſit, & delineavit.

a) Nouveau traité de chirurgie, T. 1. p. 317.

Ubi vero profundius hæret abſceſſus in ipſo œſophago, cum ſenſibus non pateat locus affectus, pertuſio tentari nequit; ſed ſolo uſu emollientiſſimorum remediorum tentandum eſt, ut quam citiſſime rumpatur apoſtema. Quam horrenda autem mala fieri poſſint, antequam abſceſſus tali loco hærens rumpatur, docet ſequens caſus. a) Puella ſaniſſima, ſeptemdecim annos nata corripiebatur periculoſiſſima angina, una cum valida febre. Cumque jamjam ſuffocandam credebant omnes, ſubito præter omnem ſpem detumuerunt fauces, verum ſucceſſit dolor cum ponderis gravantis ſenſu circa ſterni ſummitatem, ubi illud claviculis jungitur. Simul ſenſit moleſtiam in deglutiendo, quæ quotidie increvit; donec tandem puram etiam

aquam

aquam deglutire tentans convelleretur ilico horrendum in modum, & mortuæ instar jaceret. Indicabat digito ægra affectum locum, neque tamen ullus tumor examinanti medico ibi apparebat. Conclusit tamen medicus, materiam inflammatoriam subita metastasi œsophagum occupasse, atque tumorem fecisse, qui a deglutiendis irritatus acerbissimum dolorem, & horrendas convulsiones excitaret *). Mollissimo fomento externe applicato, & blando vulnerario decocto potato, post triduum crepuit abscessus, & puris copia & fœtore fere suffocabatur ægra. Potata autem larga aquæ calidæ quantitate, & vomitu rejecta, eluebatur misera a tantis malis, quæ per bimestre spatium toleraverat, posteaque se bene habuit.

*) Medical Essays Tom. 1. C. 27. p. 274.

Alius exitus est, tumor scirrhiformis, qui in tonsillis subinde relinquitur.

Tanta etiam subinde moles est tonsillarum inflammatarum, & partium adjacentium, ut æger inde suffocetur, nisi generosa methodo antiphlogistica malum ilico frangatur.

Periculosissimæ autem omnium sunt metastases ad encephalon aut ad pulmones. *Si*

angina subito finita est, in pulmonem id malum transit. a)

a) Celsus L. 4. c. 2.

Etsi pessimi ominis sit, anginam *gangræna* terminari, interim tamen funesta hæc prognosis locum habet, dum notabilis faucium pars post validam inflammationem gangrænescit. Si enim in parvo tantum loco tale quid observetur, neque malum proserpat, aliaque spes superest; quod imprimis sequenti casu patet. Mulier annorum sexaginta & trium, optimi habitus, & validis laboribus assueta, corripiebatur angina æstate media. Nihil in faucibus apparebat, sed vox rauca erat, & acutum dolorem sentiebat circa cartilaginem cricoideam; simul aderat intensa febris. Post largam venæ sectionem, & purgans antiphlogisticum, atque molissimum cataplasma collo applicatum continuo, levabatur quidem morbus, & multum diminuebatur febris; sed quarta die morbi anxietas circa præcordia; vox admodum rauca, & decubitus in lecto impossibilis, malum dabant omen. Sequenti die febre omnino libera erat, vox melior; fauces humide apparebant; verum dolorem in pectore molestum percipiebat, uvulæque pars inferior nigricabat. Augebat metum fu-

ne-

nesti eventus, quod post molestissimam noctem toleratam, sequenti die vacillaret pulsus, jaceret hebes, nullum amplius dolorem sentiret, uvula manente in eodem statu. Octavo tamen morbi die incepit uvulæ extremum, hactenus nigrum albescere, omniaque symptomata minui; & undecima morbi die uvula naturalem colorem recuperaverat, atque a gravissimo hoc morbo evasit mulier.

METHODUS MEDENDI ANGINÆ INFLAMMATORIÆ.

I. Cum illa anginæ inflammatoriæ species, quæ vel in ipsa pulmonali fistula, vel circa laryngis superiora sedem habet, omnium pessima sit, & citissime lethalis; efficacissima simul & semel adhibenda sunt auxilia adeoque & ejus cura præmittitur; quia hac intellecta facile cognoscitur, quid in reliquis anginæ inflammatoriæ speciebus agendum sit.

Solam inflammationis curam, quæ resolvendo fit, hic locum habere posse, facile patet; gangræna enim in his locis validam inflammationem sequens lethalis semper est; & cum suppurationem comitari semper soleat

aug-

augmentum ſymptomatum, quibus ſtipatur inflammatio, neque hæc poterit exſpectari: prius enim ſuffocaretur æger, antequam natus hic abſceſſus matureſcere poſſet. Statim ergo examinandum eſt, an inflammatio adhuc talis ſit, ut ſperare liceat, illam reſolvendo curari poſſe. Hoc novimus, ſi recens fuerit morbus, nullaque adhuc ſigna inceptæ ſuppurationis, vel natæ gangrænæ adfuerint. Quænam autem requirantur ad inflammationis reſolutionem in prioribus paragraphis explicata ſunt; adeoque tantum ſupereſt, ut videatur, quænam præter generalem inflammationis curationem in ancipiti hoc morbo notanda ſint.

1. *Sanguinis miſſio* hic primarium remedium eſt; cum per illam, minuendo copiam, & impetus humorum ad ſuperiores partes imminuatur, & fibrarum ſtrictura ſolvatur. Cum autem in hoc morbo adeo præceps diſcrimen ſit imminentis ſuffocationis, ſi tumor inflammatorius augeatur, requiritur & cita & magna miſſio ſanguinis, & quidem eo usque, ut tanta debilitas oriatur, ut nullus metus ſit, tumorem inflammatorium vel a copia, vel ab impetu humoris vitalis, increſcere poſſe. Si autem recrudeſcant minacis morbi ſymptoma-

ta,

ta, repetenda erit venæ fectio ilico, cum nullam moram ferat tam cito lethalis morbus: præftat enim, ut exhauftus fanguine, langueat aliquamdiu æger, quam ut fuffocetur miferrime. Quia autem tanta fæpe eft talium anginarum velocitas, ut inopinato fuffocentur ægri etiam illo tempore, cum remedia adhibentur; acerba prognofis præmittenda eft: ne fubita mors audaci, quamvis neceffariæ, venæ fectioni adfcribatur potius, quam morbi vehementiæ.

Præmiffa larga venæ fectione fanguifugæ circa collum & retro aures adplicantur, cum maximo ægri levamine; ob lentam enim vitalis humoris evacuationem minus debilitans. Neque tamen femper hirudinum ufum venæ fectio præcedere debet, uti Cl. *Michaelis* a) monet; „ in tenerioribus enim haud raro folo hirudinum ufu morbum fugatum fuiffe multa exempla probant. Si itaque febris vel levior modo, vel nulla plane adeffet, vel debiliorem reperirem ægri conftitutionem, venæ fectionem hirudinibus non præmitterem. Hoc tamen monendum, quod fi aliquid ab egregii iftius auxilii virtute exfpectare velis, octo, decim, vel duodecim fimul collo admovendas, nec prius removendas effe, donec tandem

dem ſponte decidant; ſanguinis autem ex plagis ſtillicidium, calida diu promovendum. Salomon caſum refert, ubi eo ipſo quaſi tempore, quo hirudines ſugereut, reſpiratio difficillima in naturalem mutabatur, ita, ut infans ex ſommo expergefactus, ſani inſtar lætus & alacris obambularet. "

a) Michaelis l. c. p. 200.

Voluerunt aliqui venas raninas pertundi oportere; ſed præſtat certæ venæ jugularis ſectio. Atque *Tulpius* a) jam funeſtos eventus notavit, dum ægri venarum raninarum ſectioni tantam inflammationem comitterent.

a) Tulpius obſerv. L. IV. c. 51.

2. Enematum uſus in hoc morbo eximius eſt; at emollientia primum, dein eccoprotica, ter quater de die injecta. Nocent acriora omnia, purgantia, utpote quibus inflammatorius in corpore ſtimulus increſcit.

3. Victus atque potus tenuiſſimus ſit, & leniſſimus. Cum angina inflammatoria acutiſſima ſit, & niſi cito reſolvatur, ſubito necet, de cibo non adeo ſolliciti ſumus, cum facile inediam tolerarent ægri brevi hoc tempore, & ſolo potu ſuſtineri poſſint, imo plerumque ob doloris acerbitatem, anxietatem intolerabilem, & febrim acutam comitem quævis

vis oblata respuant. Solum ergo lactis serum vel lac tripla aquæ copia dilutum hic sufficient. Omnia autem hæc tepida summenda sunt, ne a frigido potu inflammatas partes alluente augeantur omnia mala. Ubi vero larynge inflammata deglutitio ob acerbissimum dolorem impeditur, eadem per clysmata injici possunt, ut sustinetur vita, & caveatur nimia corporis exsiccatio.

4. Nitrosa, subacida medicamenta. Mixturæ antiphogisticæ; decoctum hordei, altheæ, cum nitro, addito oxymelle, syrupo ribesiorum, berberum &c.

5. Nil autem laxandis inflammatis partibus magis conducit, quam vapores tepidi emollientes faucibus continuo excepti, & externa ejusdem generis fomenta collo applicata. Hunc in finem tepida emollientia herbarum decocta, aut infusa, ore continentur, ut vaporibus hisce inflammatæ partes relaxentur, & resolutionis negotium omni modo promoveatur. Fomenta etiam & cataplasmata ex iisdem remediis parata, atque externe applicata in eodem scopo adhibentur.

6. Monuit illust. *Swietenius* a), nullum fere morbum acutum inflammatorium angina magis esse volubilem. Familiare enim est in pra-

praxi videre, quod unius lateris tonfillam occupans inflammatio minuatur fubito, & alterius lateris tonfillam afficiat. Neque hoc tantum, fed & ad alia, & fæpe etiam fatis diffita corporis loca tendit. In fplenem dolorem proceffiffe levatis faucibus legitur. b) In *Pelemarchi* uxore, quæ angina laborabat cum multa febre, fecta vena faucium, fuffocatio ceffavit quidem, febris perfeveravit, & ad quintum diem finiftrum genu tumor & dolor occupavit; fimulque circa cordis regionem aliquid coacervari, & ftrepitus in pectore audiebatur. c) Aliæ anginofæ mulieri dextra manus & crus doluit; fuffocatio vero tertia die remifit. d) Hinc remedia derivantia in angina curanda non tantum hac fpe adhibentur, ut a partibus affectis derivetur impetus, & copia humorum, dum interim priftinam fedem occupat morbi caufa materialis; fed etiam docuerunt obfervata, per eadem remedia, quandoque impetrari poffe, ut materialis caufa morbi locum mutet, & in alias transeat partes. At tunc præcipue efpifpafticis, cucurbitis fcarificatis & ficcis, & finapismis collo & pectori applicatis locus effe videtur, fi figna appareant, materiam morbi locum fuum deferere, & ad pulmones de-

cu-

cubitum moliri; præmissis tamen sanguinis evacuationibus, aliis usque coindicatis remediis simul adhibitis.

a) Swietenius T. II. p. 678.

b) Hipp. Epid. 2.

c) — — — 5.

d) — — — 7.

II. Quando de hac specie anginæ inflammatoriæ agebatur, notatum fuit, illam quidem non tam periculosam esse, ac aliæ, quæ laryngem, vel pulmonalem fistulam obsident; cum sola hic deglutitio læsa sit, respiratione satis libera manente. Interim tamen non caret periculo & hæc angina, quia adeo prona observatur in malam metastasin, qua morbus in pulmonem vertitur; unde patet non perfunctorie tractandum esse hunc morbum. Eadem autem hic remedia requiri ad resolvendam inflammationem satis patet. Cum autem non adeo anceps immineat subitæ strangulationis periculum, ac in præcedentibus anginis, non tam validæ, nec tam subitæ evacuationes per venæ sectionem requiruntur. Victus tamen tenuis & lenissimus, & similis potus requiritur; uti & nitrosa, atque subacida illa medicamenta, quæ antea laudata fuerunt. Cum autem tam facile metastasin

fa-

faciat hic morbus, proderunt cataplasmata emollientissima toti collo & cervici obvoluta, ut huc versus alliciatur morbi materia, sicque impediatur ejus in pulmonem transitus, unde etiam & his cataplasmatibus possunt admisceri talia, quæ irritant loca, quibus applicantur.

III. Ubi autem sola pharynx, vel tonsillæ, uvula, velum pendulum &c. inflammantur, sub conspectum cadunt partes affectæ, minusque periculosæ esse solent tales anginæ. Eadem quidem curatio requiritur, ac in præcedentibus, sed & pariter leviora tantum remedia postulantur, cum minus discrimen adsit. Venæ sectione præmissa, purgans antiphogisticum datur; atque hæc repetuntur, vel non, prout morbi aucti, vel minuti conditio postulat. Verum in prioribus anginæ speciebus humectantia remedia directe ad partes affectas venire non poterant fere, nisi vaporis forma tantum; adeoque pinguium & emollientium & resolventium efficacia in his nulla fere erat; in hoc autem casu partibus affectis satis commode hæc applicari possunt. Decocta ergo ex althæa, malva, lini seminibus, & similibus emollientibus parata, additis nitro, aceto, sale polychre-

chresto &c., tali quantitate, ut non nimis irritent suo stimulo partes inflammatas, uti dum e. g. in singulis libris decocti talis drachma una nitri solvitur; infusa florum sambuci, rhoeados, meliloti; addito melle, vel syrupo altheæ &c. pulcherrimi hic usus sunt.

Omnia autem hæc calida esse debent, cum frigida actu, constringendo vasa tantopere hic noceant; sufficitque ut ore contineantur quieto, vel levi tantum faucium motu gargarisando applicentur. Crudele enim est, & noxium quam maxime, dum chirurgi cogunt miseros ægros, ut fortiter gargarisent perpetuo; sic enim ruditer agitantur partes inflammatæ, unde potius gangræna, quam blanda resolutio exspectanda foret.

Ubi autem adeo tumuerunt partes, tantumque, & tam continuum est tenacis pituitæ stillicidium, ut ore clauso hæc continere nequeant ægri, per siphonem continuo hæc injici debent, ut caveatur partium inflammatarum exsiccatio & ariditas, & quantum fieri possit, omnia maneant perspirabilia. Vidit *Boerhavius* in homine, cui tonsillæ & uvula inflammatæ adeo tumebant, ut jamjam suffocandus videretur, assidua injectione per fistulam decocti emollientissimi noctes diesque

sa-

factum fuisse, ut morbum tolerare potuerit æger, donec rupto abscessu ex ipsis orci faucibus evaderet.

Cataplasmata ex emollientissimis parata collo applicantur, quia laxatis his partibus extrorsum tumere possunt inflammatæ tonsillæ, sicque minuitur faucium angustia.

Verum omnia hæc artis molimina tunc tantum adhibentur, quando valida inflammatio has partes occupat; & imprimis, si satis intensa simul febris adsit. Quandoque enim contingit, levem catarrhosam inflammationem has partes obsidere absque multo tumore, & levi tantum asperitatis sensu; tunc solis diluentibus nitrosis cum emollientibus datis curari facile solet, absque sanguinis etiam missione.

TRACHEOTOMIA.

In illis anginæ speciebus, ubi inflammatio asperam arteriam, vel laryngem occupat, moriuntur ægri, quia impeditur aeris in pulmonem ingressus: inde enim accumulatur sanguis in pulmone, & venosi sanguinis reditus a capite impeditur. Si ergo poterit parari via aëri pulmonem ingressuro,

sum-

fummum in his morbis periculum tollitur, & datur tempus ad curandam inflammationem has partes occupantem. Tentatur hoc primo valida miffione fanguinis, & reliquis auxiliis de quibus in præcedentibus paragraphis dictum fuit; ut nempe inflammatarum partium tumor fubito concidat, ficque tollantur, vel minuantur faltem multum impedimenta, quæ libero aëris ingreffui in pulmonem obftabant. Ubi vero hæc remedia non adhibita fuerunt, vel tunc tantum, quando nimis invaluerat morbus; vel denique, fi omnibus his tentatis, non minuantur fymptomata, nihil fupereft, quam ut certæ morti tradatur æger, vel per partem paretur aëri in pulmonem via. Cum autem per folam fiftulam pulmonalem aër in pulmonem venire poffit, patet, illud obtineri non poffe, nifi ejus apertura fiat. Vocatur hæc operatio hinc βρονχοτομὴ, aliis *laryngtome*, omnium optime autem *tracheotomia*. Conditiones, quibus præfentibus operatio hæc in ægri falutem poteft inftitui, fequentes funt:

1. Requiritur, ut tumor inflammatorius circa laryngem hæreat, vel in afperæ arteriæ parte fuperiori, ut nempe infra locum affectum fectio poffit fieri, uti fatis patet.

Cog-

Cognoſcimus autem, ubi hæreat malum, ex ſenſu ægri; & licet aliquid circa hanc rem dubii maneret, præſtaret tamen in certo lethali angina anceps remedium experiri, quam nullum.

2. Ut cum ſpe fauſti eventus ſectio aſperæ arteriæ fiat, requiritur, ut morbus recens ſit: ubi enim diu duravit, metus eſt, ne immeabili ſanguine pulmonalis arteria infarcta jam ſit, adeoque, facta licet via aeri pulmonem ingreſſuro, maneret tamen lethalis peripneumonia. Novimus autem tale malum adeſſe, ſi pulſus mollis, debilis, intermittens ſit, & extrema corporis frigeſcant, tuncque non adhibenda facile eſt aſperæ arteriæ ſectio; quamvis enim illa mortem neutiquam accelераret, tamen imputaretur ab ignavis & malevolis ægri exitium huic operationi, licet minime periculoſæ, ſi periti chirurgi manu perficiatur.

3. Ob eandem rationem hac operatione abſtinendum eſt, dum ſymptomata docent, gangrænam jam valide inflammationi ſucceſſiſſe.

Interim tamen præſtat, nunquam hanc operationem tentare, niſi in conſilium prius vocatis aliis medicis, qui teſtes eſſe poſſunt, nul-

nullam falutis fpem fupereſſe, niſi hoc tentetur: neque tamen certo fanitatem promitti poſſe; licet hoc fiat. Quod imprimis ideo monendum, quia in peſſimis illis anginæ fpeciebus toties obfervatum fuit, morbum fummo cum periculo in pulmonem verti.

Ipfa autem tracheotomiæ operatio fequenti methodo tutiſſime peragitur.

1. Cum hæc operatio nunquam foleat inſtitui, niſi in urgente maxime neceſſitate, & fere femper prius fanguinis miſſiones, aliaque remedia adhibita fuerint, non erit opus multa præparatione ante operationem ipfam, cum illa fufficiant ad præcavendam inflammationem validam, quæ inflictum afperæ arteriæ vulnus fequi poſſet, & periculum ingens in mora fit.

2. Locus, ubi fectio fiet, feligitur ille, qui pollicis latitudine ab infimo margine cartilaginis thyroideæ diſtat.

3. Elevata tunc ab utroque latere afperæ arteriæ integumenta cultello difcinduntur ad trium quatuorve digitorum transverforum longitudinem; fic ut angulus fuperior fectionis directe refpondeat medio loco inferioris maxillæ; inferior vero fectionis angulus e directo jaceat cum emarginatione fummitatis oſſis ſterni.

 4.

4. Separatis tunc eodem cutello remotisque musculis, sternohyoideis & thyroideis, qui tracheæ incumbunt, separata pinquedine & tela cellulosa, nudatur aspera arteria, atque interstitium membranaceum inter tertium & quartum annulum cartilagineum pertunditur. Varias, atque graves cautelas in hac parte operationis observandas Illustr. *Richterus* a) tradidit. Atque primo monet, ut a dissectione glandulæ thyroideæ caveatur: „ Insignis plerumque sectionem hujus glandulæ sequitur hæmorrhagia, haud quidem periculosa, imo forsan, si unicam inflammationem respicis, salubris; cum autem inexspectata sit, & operationem turbet, cumque glandula vulnerata sequenti die intumescat, tubulumque, per quem respirat æger, vulneri arteriæ asperæ inhærentem, elevet, extrahat, ægrumque in periculum suffocationis conjiciat, facile quoque conglutinationem haud promittat, & sic varia incommoda, varias difficultates pariat, quibus tamen penitus carere hæc operatio dicitur, hanc discindi glandulam non debere puto. Facile illius læsionem caves, si loco, quo potes, profundiori tracheam perforas, vel si huc etiam descendit glandula, illam separas blan-

de

de, removes, & prope inferiorem illius marginem inſtrumentum in tracheam immittis. „ Suadet etiam accuratam muſculorum ſeparationem; ita enim accuratius cognoſcis, cuinam loco lanceolam immittere debes, accuratius diſtinguis, an profunde ſatis, an non nimis profunde illa penetrant in aſperam arteriam. Fieri enim poteſt, imprimis quando trachea multa pinguedine, vel celluloſa ob vicinam inflammationem turgida tegitur, ut profunde ſatis jam penetraſſe lanceolam putes, quando nondum ſatis penetravit; uti quoque fieri contra poteſt, ut profunde ſatis nondum penetraſſe inſtrumentum videatur, ubi ſatis jam penetravit, utque dum profundius illud adigis, lædas poſterius aſperæ arteriæ latus, imo perfores, variaque pericula incurras, obvia imprimis in infantibus, quorum trachea ampla non eſt. "

a) Illuſtris Richteri. Obſervat. chirurg. faſcic. II. Götting 1778.

5. Canaliculus, qui facta per lanceolam plaga aſperæ arteriæ immittitur, non rotundus ſed complanatus ſit, qui vulnuſculum eo ipſo momento, quo infligitur, exacte claudit, omnemque viam ſanguinis in aſperam arte-

 riam,

riam, aërisque in telam cellulosam intercipit. a)

a) Illustr. Richter l. c.

6. Proprium instrumentum Vir illustris sibi comparavit a), quo, qui utitur, facile, & celeriter, operationem peraget, lanceola nempe in vagina sua latentem; quod omnibus illis incomodis caret, quibus instrumentum illud, quod *Troiquart* vocatur, laborat,

a) Illustr. Richter l. c. p. 40. & Fig. I.

7. In angina membranacea, sectione longitudinali facta, extractionem illius pseudo membranæ felici effectu tentari posse, atque eadem operatione spasticam glottidis constrictionem posse tolli, magna cum probabilitate celeberrimus *Michaelis* a) contendit.

a) Celeber. Michaelis. l. c. p. 229.

8. Si deglutitio simul impossibilis fuerit, proderunt clysmata nutrientia; prius autem clysmate purgante eluenda sunt crassa intestina, ut nutrientia injecta commode retineri possint. Præ reliquis laudari solent carnium juscula addito pauxillo nitri, vel succo nitri, aut pauco sale marino. Cum autem *Sydenhamus* a) non tantum carnes, sed & parata ex his juscula in anginis severe prohibuerit; ex lacte diluto, lactis sero, decocto

pa-

panis bene fermentati parari possent clysmata nutrientia. In juvene angina laborante, qui ne guttulam liquidi deglutire poterat, sæpius de die clysma injiciendum curavit Illustris *Swietenius* b), ex lacte aqua diluto paratum, tali cum effectu, ut per plures dies vires sustinere, & nimiam corporis exsiccationem cavere potuerit.

a) Sydenh. op.

b) Illust. Swieten. Comment. T. II. p. 691.

Pauca adhuc de angina inflammatoria notanda supersunt.

1. Peculiarem quibusdam esse in hunc morbum proclivitatem. Novit Illustr. *Swietenius* a), tales homines, quibus bis in anno vere scilicet & autumno, hic morbus contingere solet; nisi vertente anno venæ sectione adhibita, vel purgante antiphlogistico sumpto, præcaverint.

a) Swietenius l. c. p. 665.

2. Prægressa vehementi inflammatione tonsillarum, majus subinde volumen inflammatæ tonsillæ remanet, quin nulla functio inde lædatur: hinc etiam nulla remedia adhibenda sunt.

3. Subinde vero intra substantiam tonsillæ lympha coagulabilis effunditur, atque

ſcirrho ſimilem, indolentem tumorem efficit. Male reſolvente remediorum apparatu hos tumores adgredimur, nil his omnibus profe-cturi; atque vires ægri potius deſtruimus, quam tumorem hunc reſolvimus. Ipſo tempore paululum imminuuntur hi tumores, atque duriores evadunt.

SYNOPSIS.

Stollii proemia ad prælectiones clinicas.

Anno 1776. 13. Maji cum collegia practica inchoaret.

Anno 1776. 5. Novembris.

Anno 1777.

Anno 1778.

Anno 1780.

Anno 1781.

Anno 1785.

Anno 1786. 3. Octob. lingua vernacula habitum.

Commentaria in Stollii aphorismos de cognoscendis & curandis febribus.

FEBRIS IN GENERE.

Febris frequentia.
Febris natura.
Causæ febrium.
Singulares febrium causæ.

FEBRIS INFLAMMATORIA.

Symp-

Symptomata febris inflammatoriæ.
Causæ prædisponentes.
chlorosis
hæmoptoë
hydrops inflammat.
Febris ephemera.
Inflammatio chronica.
Causæ excitantes synochi imputris.
Febris inflammatoria simplex & composita.
Synochus imputris sub schemate febris putridæ.
Febris inflammatoria universalis, & cum topica inflammatione.
Exitus febris inflammatoriæ
In sanitatem
Lysi.
Crisi salutari
sudoribus
hæmorrhagiis
urina
diarrhœa.
Abscessu externo.
In mortem.
magnitudine inflammationis.
crisi erronea.
abscessu interno.
gangræna.

INFLAMMATIONES TOPICÆ
PHRENITIS.

Phre-

Phrenitis & mania puerperarum.
Phrenitis a vi externa capiti illata.
Relapſus. Convaleſcentia.
Notanda de phrenitide.

ANGINA.

Angina cum tumore.
Angina ſine tumore.
Tumorum varia natura.
Sedes tumorum varia.

VARIÆ ANGINÆ SPECIES.

ANGINA INFLAMMATORIA.

Cauſæ anginæ inflammatoriæ.
Species anginæ inflammatoriæ
inflammatio aſperæ arteriæ
inflammatio laryngis
inflammatio muſculorum oſſis hyoidis & laryngis.
inflammatio pharyngis
inflammatio tonſillarum, uvulæ, veli penduli.
Effectus inflammationis in his partibus.
Exitus varius anginæ inflammatoriæ.

Cri-

Crisis erronea.
Methodus medendi anginæ inflammatoriæ.
Tracheotomia.

Finis Tomi Primi.



